bus: & concludit eum sic intellectum posse jure defendi: & tandem remittit se ad ea, quæ ipse notat in *additione finali ad ipsummet c. Per vestras in proœmio, §. de donat. inter vir. & uxor.* ubi ait esse satis dubiam hanc sententiam. Sed dicendum est, ob uxoris delictum auferri viro totam dotem, aut partem juxta delicti qualitatem, non tantùm quo ad proprietatem, sed etiam quo ad fructus. Quia cum hæc non sit alienatio ex uxoris contractu, sed ex delicto, potest in ea viro præjudicari. Atque ita docent *idem Joannes Lupus l. 78. Tauri, numero 2. & ibi Castillo numer. 2. Antonius Gomez numero 6. Plaza de delictis, lib. 1. cap. 23. numero 11. Matienzo* alios referens *ea leg. 11. gloss. 1. nu. 4. Azevedo eadem l. 11. num. 5.*

32 At hæc confiscatio, & dotis ablatio est dupliciter limitanda. Priùs, nisi ex pacto, vel statuto, vir esset dotem, aut ejus partem, soluto matrimonio lucraturus. Quippe tunc dos, aut ea pars salva ei maneret in tempus soluti matrimonii, quo accedente teneretur fiscus eam illi restituere: at ejus fructibus potietur eo constante: sicut in bonis restitutioni subjectis disponitur in *l. Statius Florus 48. §. Cornelio Felici ff. de jure fisci. Sic Matienzo ead. l. 11. gloss. 2. n. 1. Azevedo ea l. 11. nu. 5. & 6.* Atque tunc non confiscari dotem, nil aliud explicando, tradunt *Cifuentes l. 78. Tauri, num. un. limitat. 1. Castillo ibi n. 2. Gomez. Arias l. 76. Tauri, n. 3.* Quod quidem allegatis *Bartolo, Dyno, Alberico, Cumano, & Ruino*, sublimitat *Barbosa l. Si constante 25. §. finali, num. 1. ff. soluto matrimon.* ut intelligatur cum hac distinctione, si confiscatio fiat constante matrimonio, nec delictum uxoris sit ex contentis in textu *l. Quinque legibus 3. ff. de bonis damnat.* quorum nemminimus *num. 24. & 25.* maritus lucrabitur dotem, juxta pactum, vel illius partem *l. sed si alia 5. in principio ff. de bonis damnat.* Si verò fiat ex aliquo illorum delictorum, confiscabitur dos, nec ex eo pacto, vel statuto lucrabitur vir. Ratio prioris partis est, quia delictum uxoris minimè viro nocere debet, cui ex pacto, vel statuto jus ad dotem est quæsitum, *l. Si dotem 24. C. de jure dotium.* Posterioris autem partis ratio est, quia cum illis delictis expressum jure sit dotem amitti, generale lucrandæ dotis pactum, aut statutum, non amplectentur ea delicta. Quin imò (ut inquit *ibi Barbosa*) si in pacto id specialiter declararetur, non valeret: juxta regulam textus in *l. Jus publicum 39. ff. de pactis.* Et placet quidem quamvis *Peregrinus de jure fisci, l. 5. tit. 1. n. 83. & 118.* absolutè doceat, dote publicata posse virum deducere lucrum sibi pacto, aut statuto debitem: & *Bajardus addit. ad Julium Clarum lib. 5. recept. q. 78. num. 63.* alios referens dicat, stante illo pacto virum lucraturum dotem, nisi uxor ante id pactum esset hæretica. Quia tunc tamquam initum post hæresim non valeret.

33 Posteriùs limita, nisi dans dotem stipulatus fuerit eam soluto matrimonio sibi reddendam: tunc enim non confiscabitur dos, sed eo soluto restituetur danti *l. Si dotem 24. C. de jure dotium.* Sic *Cifuentes l. 78. Tauri, n. unico, limitatione 2. & ibi Ant. Gomez in fine, Matienzo eadem l. 11. n. 6. gloss. 2. n. 2. Azevedo eadem l. 11. n. 6.* At constante matrimonio fructur fiscus fructibus illius dotis. Ut diximus *n. 31.*

34 Utrum autem teneatur vir alere uxorem, ablata sibi ob ejus crimen dote, dixi *lib. 9. de matrim. disp. 5. num. 10.* teneri, & ultra Doctores *ibi* relatos, tenet *Castillo l. 78. Tauri, in fine.*

CAPUT XVIII.

De confiscatione bonorum alienari prohibitorum, ac majoratuum, atque bonorum, quæ restitutioni, aut fideicommisso subjecta sunt.

SUMMARIUM.

Prohibitio alienationis, quando sit tacita, & quando expressa: & an ex sola fideicommissi, aut majoratus institutione inducatur expressa? n. 1.

Quando est sola tacita prohibitio, possunt ea bona alienari pro vita possessoris, aut tempore, quo eis frui debebat: secus autem quando est expressa: & tunc ea bona alienata possunt à sequenti vocato vindicari, n. 2.

Hæc prohibitio est aliquando in favorem illius, cui alienatio interdicitur, & aliquando in aliorum favorem, n. 3.

Dupliciter agi de confiscatione potest, aut quo ad solos fructus pro vita possessoris, aut quo ad proprietatem in perpetuum, n. 4.

Quando prohibetur alienatio in solum favorem illius, cui interdicitur, confiscantur in perpetuum ea bona ob possessoris delictum, num. 5.

An hoc habeat verum, non solùm quando prohibitio est à lege, sed etiam quando est ab homine? n. 6.

Quid si interdicens alienationem in illius favorem interdiceret transitum in fiscum? n. 7.

An bona solum tacitè alienari vetita confiscentur saltem quo ad fructus ob delictum gravati? n. 8.

An obeunte fideicommissario dum vivit delinquens, maneant ea bona perpetuò ad fiscum? n. 9.

An si in eo fideicommisso sit relicta uxor usufructuaria, gaudeat fiscus eo usufructu? n. 10.

An bona majoratus confiscentur perpetuò ob delictum possessoris, qui primus ejus institutor non est, quando delictum non est sodomia, nec læsa majestatis divinæ, vel humanæ? n. 11.

An confiscentur, quod ad fructus durante possessoris vita, quando sola est tacita alienationis prohibitio? n. 12.

Quid si ille delinquens nondum possidebat majoratum? n. 13.

Et ibi alia limitatio ponitur remissivè.

Quid quando in illis, aut quibuscumque bonis alienari prohibitis, est expressa alienationis prohibitio? Refertur quædam opinio, num. 14.

Explicatur sententia Auctoris n. 15.

Improbatur quædam utriusque sententiæ concordia, n. 16.

An bona quo ad usumfructum confiscentur, quando est interdicta eorum divisio, aut additum, velle in familia conservari? n. 17.

Quid quando non sunt vetita alienari simpliciter, sed in quoddam personarum genus? n. 18.

Quid in casibus contentis in quadam Bulla Sixti V.? n. 19.

Quid quando prohibitio alienandi est irrita? n. 20.

Quid quando id gravamen appositum est in legitima? n. 21.

Et ibi remissivè de Trebellianica confiscanda.

Quid si sit sola prohibitio alienandi per contractum? n. 22.

Quid si defecerint omnes, in quorum favorem alienatio est interdicta? n. 23.

An valeat clausula disponens, ut si possessor illorum bonorum incidat in crimen publicationi subjectum, transeant statim in sequentem vocatum: & impediatur hoc modo publicatio? n. 24.

An oporteat addere, ut transeant, antequam id delictum committatur? n. 25.

Quid si clausula interdicat, nec uno momento bona illa posse in extraneum, aut in fiscum transire? n. 26.

Explicatur qualiter hæc clausula non sit in fraudem fisci? n. 27.

Et ibi an valeat, si disponens sit ipse delinquens, disponatque ne bona possint in fiscum transire?

Quid si ea clausula apponatur in ipsorum delinquentium favorem? n. 28.

Traditur cautela in his clausulis servanda, ad vitandas lites, num. 29.

An hac clausula operetur, ut statim, ac possessor incidit in hac crimine, teneatur ea bona sequenti vocato restituere? n. 30.

An publicentur bona alicui relicta, cum conditione restituendi, si absque liberis decesserit? n. 31.

An quando bona alienari prohibita, nec publicata, quo ad usumfructum, veniant ad filium delinquentis, acquirat pater usumfructum in iis bonis: & generaliter quoties bona patri delinquenti ablata perveniunt ad filium? n. 32.

Solvuntur argumenta, n. 33.

Post n. 33. invenies alia summaria.

1 UT distinctè in hac re procedamus, tria agenda sunt. Primum est, de confiscatione horum bonorum in generali, & majoratuum, ob alia crimina, quàm læsæ majestatis divinæ, aut humanæ, aut sodomiæ, commissa à majoratus possessore. Secundum, de confiscatione majoratuum, ob hæc possessoris crimina. Tertium, de confiscatione majoratuum, ob hæc institutoris crimina. Ad quorum omnium intellectum, quatuor præmittenda sunt. Primum est, duplex est alienandi prohibitio: quædam est expressa: quædam autem tacita. Dicitur expressa, quando disponens interdicit expressis verbis alienationem bonorum. Tacita autem, quando non expressis verbis interdicit, sed ex sua dispositione sequitur ea bona non posse alienari. Sicut relinquens fideicommissum interdicit eo ipso tacitè alienationem, non autem expresè. Cujus rationem optimè tradit *Molina l. 4. de primogen. cap. 1. num. 3.* alios referens; nam etsi eo ipso, quòd quis fideicommissum relinquit, sint ea bona alienari prohibita, non tamen alienationis interdictum inde consurgens est expressum, cum non tam ex verbo *fideicommissi*, quam ex dominio ad vitam restricto, quod solùm gravatus restituere post vitam, acquirit, resultet. Et quamvis ex institutione expressa majoratus, videatur expressa alienationis prohibitio consurgere, eò quòd majoratus natura sit, ut bona alienari nequeant: at dicendum est, *cum Molina eo num. 3.* solam tacitam consurgere. Rationemque reddit, quia non est verum sub eo verbo claudi simplicem, & absolutam alienationis prohibitionem, sed solam limitatam, ne valeat possessor ea ultra vitam suam alienare: & quamvis prohibitio alienandi ultra vitam comprehendatur in eo verbo, est tamen tacita, resultatque non tam ex verbo *majoratus*, quam ex dominio restricto, quod ab institutore unicuique ad illum vocato est concessum.

2 Secundum præmittendum est. Inter alia discrimina inter expressam, & tacitam bonorum alienationem, quæ ad præsens facit, ea est. Quando est sola tacita, censetur sola interdici perpetua dominii illorum alienatio; at manet permissa ad possessoris vitam, aut quamdiù bonis illis potiturus est: quare si alienet, nequit alienatio revocari, nisi adveniente morte, vel die, qua tenebatur possessor ea bona restituere. Ut notatur *l. Finali, C. communia, de legatis.* At quando est expressa, nequeunt ea bona etiam pro vita possessoris alienari: atque si alienentur, possunt statim à sequenti vocato vindicari, non expectata morte possessoris, aut tempore, quo dies fideicommissi cedere debebat. Ita *Segura l. Coheredi §. Cum filia n. 268. ff. de vulgari, Molina num. prac.* relatus, & latiùs alios allegans, *lib. 1. c. 16. n. 33. Peregrinus de jure fisci, l. 5. tit. 1. n. 102. Farinacius* multos referens in *sua*

sua practica criminali, in nova edit. to. 1. p. 1. de delictis, & pœnis, q. 25. n. 38. & 39.

3 Tertium præmittendum est. Dupliciter potest alienatio interdici, primo in favorem solius, cui ea interdicitur: secundò in aliorum favorem. Prius contingit, quando interdicens neminem substituit. Posterius autem, quando in casum alienationis, aut mortis, alium substituit. Sic *Farinacius eadem q. 25. n. 46.* Similiter est in favorem solius, cui ea interdicitur, quando interdictum est intra solam minorem ætatem, timore fragilis judicii ad alienandum. Quod benè tradunt *Natta cons. 528. n. 12. vol. 3. Menochius de recuperanda possessione, remedio 9. n. 78. Surdus consil. 394. n. 12. vol. 3. Cantera in suis q. criminalibus, questionibus tangentibus punitionem delictorum, c. 1. num. 43.*

4 Ultimum præmittendum est. Dupliciter possumus agere de confiscatione rei prohibitæ alienari, nempe, aut de perpetua, quo ad proprietatem, & fructus illius rei; aut de temporali quo ad fructus, dum durat vita, aut tempus, quo ille delinquens eis potiturus erat.

5 His ergo præmissis, constat apud omnes, quando prohibitio est alienandi in solius favorem, cui alienatio interdicitur, confiscari in perpetuum ob ejus delictum res illas alienari prohibitas. Quia ob ejus delictum amittitur favor ille. Atque ita tradunt *Bart. l. si finita 15. §. Si de vectigalib. n. 13. ff. de damno infecto, & l. Si quis in tantam 7. nu. 12. C. unde vi. Barthol. Socin. cons. 266. n. 38. vol. 2. Alexand. cons. 23. n. 6. vers. Quarto, vol. 1. Natta cons. 528. n. 11. in fine, & 12. vol. 3. Gygas tract. de crimine læsæ maiest. tit. de pœnis committentium id crimen q. 3. n. 2. Segura d. §. Cum filia, n. 464. & 271. Tello l. 27. Tauri, n. 19. Bossius in sua pract. tit. de bonorum publicat. n. 41. Ant. Gabr. in suis communib. opin. l. 7. tit. de criminalib. concl. 24. nu. 4. Molina lib. 4. de primog. c. ult. n. 5.* multos referens, & dicens passim scribentes hoc asserere. *Peregr. de jure fisci, lib. 5. tit. 1. n. 99. Bajard. addit. ad Julium Clarum, lib. 5. recept. q. 78. n. 42. Surdus cons. 394. n. 11. vers. Tertiò dici potest, vol. 3. Menoch. de recuperanda poss. remed. 9. nu. 78. Farin.* alios referens *d. qu. 25. num. 46. Cantera d. cap. 1. num. 43. Joannes Garzia de expensis, c. 10. num. 48. Molina ex Societate Jesu, tom. 3. de justit. disp. 656. num. 5.*

6 Quidam Recentiores, quos tacito nomine refert *ibi Natta* hoc limitant, ut intelligatur, quando hujusmodi prohibitio est à lege, secùs quando est ab homine. Ducuntur autem, quia is, cui lex in ipius favorem interdicit alienationem amittit delinquendo beneficium legis *l. Auxilium 38. ff. de minoribus*, nam frustra legis auxilium invocat, committens in legem *c. Quia frustra 14. de usuris*: quæ ratio cessat, prohibitione manante à solo homine: quippe delinquens nil in prohibitione agit. Verùm jure optimo *Natta, & Surdus num. prac.* relati hanc limitationem impugnant, quia lex interdicens minoribus alienationem, non favet eis in delictis, juxta *d. l. Auxilium*, & hoc in boni communis gratiam, ac delictorum odium. Cum ergo cujuslibet interfit puniri delicta ob easdem rationes *l. Ita vulneratus 52. ad finem ff. ad l. Aquiliam*, non est præsumendum disponentem in alicujus favorem velle ei in delictis favere.

7 Imò, etsi testator in ea prohibitione in favorem solius delinquentis facta, nullo ei delinquenti dato substituto, prohiberet expresè transitum eorum bonorum in fiscum, eo delinquente non valeret prohibitio, utpote delicto favens. Quod consonat iis, quæ *n. 28.* dicemus. Et ita tradunt *Natta n. 14. & Farinacius* ubi eos *n. 5.* retuli.

7 Secundò constat etiam apud omnes, quando prohibitio alienationis est in favorem aliorum, & est solùm tacita eo modo, quem *n. 1.* explicuimus, nequaquam ob possessoris delictum, qui institutor non est, confiscari ea bona in perpetuum, sed quo ad solam usufructus commoditatem, qua fruetur fiscus durante tempore, quo delinquens erat ille potiturus: & hoc tempore cessante succedet omninò sequens vocatus. Constat ex *l. Statius Florus 48. §. Cornelio Felici ff. de jure fisci*, ubi mater Cornelii Felicis instituta hæres, rogataque post mortem restituere filio, damnata est, publicatque sunt ejus bona; Cornelius intendebat se in illo fideicommisso præferendum fisco: & respondet Jurisconsultus sic: *Sed si nondum dies fideicommissi venisset, quia posset priùs ipse mori, vel etiam mater alias res acquirere, repulsus est interim à petitione.* Ubi *glossa finalis* ait, quia dicit interim posse illum matre naturaliter mortua, quo tempore ad fideicommissum vocabatur, id à fisco recuperare. Atque ita fatentur universi Doctores *tota hac quæstione* citandi.

9 Atque si durante naturali gravati vita obeat is, cui fideicommissum post illius mortem erat restituendum, id perpetuò apud fiscum remanebit. Constat ex iis verbis dicti §. *Cornelio Felici, Quia posset priùs ipse mori*, quasi dicat, & tunc non consequi fideicommissum, sed id apud fiscum debere manere. Et sic tradunt universi, & specialiter *Peregrinus de jure fisci, l. 5. tit. 1. num. 69. Bajard. addit. ad Julium Clarum, l. 5. qu. 78. num. 35.*

10 Limitant tamen, quod *nn. 8.* diximus, ut usufructus delinquentis eo vivente pertineat ad fiscum, nisi uxor relicta esset à viro usufructuaria: tunc enim is usufructus ad uxorem pertineret, quamvis tempore, quo relicta est, haberet ex eo matrimonio filios. Quia quamvis is usufructus favore filiorum resolvatur in alimenta sola, cum tamen in hoc casu pervenire debeat ad extraneum, nempe, fiscum, & sic cesset filiorum favor, verus usufructus ad uxorem pertinebit. Sic *Hieron. Gabriel cons. 184. n. 4. vol. 1. Bajard. addit. ad Julium Clarum, q. 78. n. 34.* Quod utique procedit, quando filius incideret in crimen confiscatione dignum: tunc .n. non confiscabitur ea pars, quæ detractis uxoris alimentis pertinere deberet ad filium, sed totus usufructus pertinebit in posterum ad matrem.

11 Hinc deducitur bona majoratuum non posse ob delictum possessoris, qui ejus primus institutor non est, ita confiscari, ut in perpetuum apud fiscum permaneant. Constat est dictis *n. 8.* Cum hujusmodi bona sint saltem ex ipsa majoratus institutione tacitè prohibita alienari, ut *num. 1.* explicuimus. Imò frequentissimè addi solet expresa alienationis prohibitio. Et quidem si excipiantur tria crimina, nempe, sodomiæ, læsæ majestatis divinæ, vel humanæ, de quibus est specialiter agendum *in hac q. à n. 34.* res est apud omnes comperta. Ut optimè ait *Molina l. 4. de primog. c. ult. n. 1.* & latissimè eam probat usque ad *n. 10.* Et ratio fundamentalis est, quia etsi possessor majoratus non solùm usumfructum, sed etiam dominium bonorum majoratus habeat, juxta veriorem sententiam; at id dominium non est omninò absolutum, sed dum vivit, ac cum onere, ut post ejus obitum succedant alii vocati: ac proinde successores non à proximo possessore, sed ab institutore, à quo vocati sunt, eum majoratum accipiunt. Quamobrem delictum hujus possessoris minimè poterit nocere juri per successores acquisito ad eum majoratum, post obitum possessoris, ut eo priventur contra primi institutoris voluntatem. Dixi autem ob culpam possessoris, qui primus institutor non est, quia quando est primus institutor, dicemus à *n. 29.*

12 Gaudebit tamen fiscus commoditatibus, & fructibus omnibus, ac emolumentis, ex eo majoratu consurgentibus, dum possessor ille vivit, & solùm pertinebunt ad successorem à tempore mortis delinquentis hujus possessoris. Quod fatentur universi citandi pro utraque sententia *n. 14. & 15.* quando sola est tacita alienationis prohibitio.

13 Intellige tamen, quando is delinquens possidebat tempore condemnationis majoratum, si enim successio nondum ad eum delata sit, non gaudebit fiscus ejus usufructu. Quia cum nondum delinquens compararit ejus dominium, eò quòd in majoratum non successerit, sicut eos fructus nullo alio modo poterat alienare, ita nec per delictum, transmittendo ad fiscum. Sic *Molina l. 4. de primog. c. ult. n. 24.* Aliam etiam limitationem apponemus *n. 24.*

14 Sed gravissima difficultas est, an quando in quibuscumque bonis alienari vetitis, aut majoratibus, est expressa alienationis prohibitio, hæc operetur, ut nec fructuum commoditates pertineant ad fiscum, durante possessoris delinquentis vita, sed statim pertineant ad sequentem vocatum? Duplex est sententia. Prior sustinet, adhuc commoditates illas confiscari. Ducitur primò, quia possessor delinquens erat verus illorum fructuum dominus, durante sua vita, poterátque eos quolibet contractu liberè alienare, nec successor jus ullum in eos habebat. Ergo cum omnia delinquentis bona transeant in fiscum, hi quoque fructus transibunt. Secundo, quia ea alienationis prohibitio eò tantùm tendit, ne successoribus præjudicetur. At ex hac publicatione fructuum in possessoris vita nullum successoribus damnum imminet, utpote qui illo vivente eis potiuri non erunt. Tertio ex *l. Statius Florus 48. §. Cornelio Felici ff. de jure fisci*, ubi universaliter, & indistinctè decernitur bona fideicommisso subjecta publicari, quo ad fructus, dum delinquens vixerit. Nec ulla commoda differentiæ ratio assignari potest, quo ad hunc effectum, inter expressam, & tacitam alienationis prohibitionem. Quartò, ex *l. Filiusfamilias 117. §. Divi, el. 2. ff. de leg. 1.* ibi: *Sed hæc neque creditoribus, neque fisco fraudi esse.* Ut clarè decernitur expressam testatoris prohibitionem non posse in creditorum, aut fisci fraudem cedere. Nec valet solutio *glossæ ibi, verbo Fisco*, ubi ait intelligi de creditoribus testatoris, & de fisco, quando testator ipsi ex vectigalibus, aut ex alia ratione aliquid debebat. Quippe juxta hanc solutionem est superflua fisci mentio: cum in eo eventu, tamquam verus illius defuncti creditor, claudatur sub aliis creditoribus. Quintò, quia quævis alienationis prohibitio intelligitur de voluntaria, non autem de necessaria, *l. Alienationes 13. ff. Familiæ ercisc.* & ratio est, quia alienationes necessarias, utpote à lege inductas, nullus privatus impedire potest, utpote qui impedire nequit leges habere locum in sua dispositione, *l. Nemo potest 58. ff. de legat. 1.* At hæc fructuum alienatio ob possessoris crimen est necessaria, non .n. ex delinquentis voluntate, sed ex legis dispositione consurgit. Ultimò, ex *l. Peto 71. §. Prædium ff. de leg. 2.* ibi: *Prædium, quod nomine familiæ relinquitur, si non voluntaria facta sit alienatio, sed bona hæredis vaneant, tamdiù retineve emptor debet, quamdiù debitor haberet bonis non venditis, post mortem ejus non habituros*, ubi expressam alienationis prohibitionem deciditur non obstare necessariæ illorum venditioni, ad solvenda possessoris debita, dum ille vivit. Ergo nec impediet confiscationem in illius vita. Et ideò pro hac sententia est *Speculator, tit. de Feudis §. Quoniam, in qu. 40. num. 63.* ubi loquens de feudo alienari prohibito, relatis variis sententiis, concludit ejus fructus publicandos ob possessoris delictum, dum ille superstes fuerit. Atque in propriis terminis eam docent *Oldrad. cons. 17. num. 18. Rom. l. Si constante 25. §. fin. n. 12. ff. soluto matrim. Hipp. de Marsiliis, singulari 314. num. 4. Paulus eo §. Divi n. 11.* & *ibi* latissimè probans, & solvens contraria, *Ruin. à n. 47.*

à n. 47. *usque ad* 50. *Alciatus ibi*, *n.* 4. *&* 5. *Bolognet. n.* 8. addens id non solùm esse verum, quando prohibitio alienationis sola simplicia verba haberet, sed alia quoque prægnantia, ut si prohibens adderet se velle, ut nullatenus ea bona ex familia exeant, vel ut non transeant in alienam personam. Quia ea verba non impediunt possessorem fieri illorum fructuum dominum, ac posse libere de illis in sua vita disponere. Quamvis *idem Bolognetus ibidem n.* 104. dubius maneat, quando hæc verba prægnantia adderentur. Eamdem sententiam tenent *Rubeus cons.* 154. *num.* 2. *Gygas tract. de crim. læsæ majest. lib.* 2. *tit. de pœnis committentium id crimen*, *q.* 3. *n.* 4. *Gregor. Lopez l.* 6. *verb. Que la non pudiesse*, *paulo post principium*, *tit.* 11. *par.* 6. *Antonius Gomez l.* 40. *Tauri*, *n.* 91. *vers. Confirmatur etiam*, *Molina lib.* 1. *de primog. c.* 20. *n.* 9. *& lib.* 4. *cap. ult. n.* 11. *Gamma decis.* 352. *in fin. Molina nostra Societatis Jesu*, *tomo* 2. *de justit. disp.* 470. *columna* 9. *vers. Id præterea*, *& tomo* 3. *disputat.* 656. *num.* 6. *Bajardus addit ad Julium Clarum*, *lib.* 5. *qu.* 78. *num.* 29. *& Peregr.* re hac latè disputata, *de jure fisci*, *lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 101. concludit se in casu occurrenti defendisse hanc opinionem. Et videtur clarè tenere *Joann. Lupus c. Per vestras*, *in proœmio.* §. 38. *n.* 4. 5. *&* 6. *de donat. inter vir. & uxor.* ubi absolutè ait confiscari fructus majoratus, ac pro se allegat *Paul. d.* §. *Divi*, qui loquitur etiam (ut proximè eum retuli) quando est expressa alienandi prohibitio. Atque indistinctè loquens de majoratu tenet *Sayro in clavi regia*, *l.* 9. *c.* 7. *n.* 7. *in fin.*

15 Posterior sententia (cui tamquam multò probabiliori adhæreo) sustinet ejusmodi fructus non publicari etiam durante possessoris vita, sed statim ea bona cum fructibus pertinere ad sequentem vocatum. Probatur primò, quia fructuum commoditas in hac specie non est separata à rei dominio, sed cum eo est adnexa, & conjuncta juxta notata ad textum *l. Et ex diverso* 36. §. *Ubi autem ff. de rei vindic.* quare sicut rerum illarum dominium nequit ad fiscum transire ob expressæ prohibitionis alienandi vim, sed transit in alios vocatos; ita de fructibus dicendum est. Quare differentia, quam tradit hæc sententia inter expressam, & tacitam alienandi prohibitionem, innititur huic fundamento, quòd fructus in hac specie sequantur dominium, & cum tunc dominium illorum bonorum nequeat etiam ad vitam possessoris in alium transire, ita nec illi fructus, sed transibunt cum dominio bonorum ad sequentem vocatum. At quando est sola tacita prohibitio sicut dominium illorum bonorum potest alienari in alium, ad tempus vitæ possessoris, juxta diserimen, quod *numer.* 2. tradidimus inter expressam, & tacitam alienandi prohibitionem, ita & fructus possunt in alium transire, & proinde confiscabuntur pro tempore ejus vitæ. Secundò, quia cum tacitæ alienandi prohibitioni consurgenti ex ipsa fideicommissi, & majoratus institutione, addatur alia expressa, plus debet operari: atque ideò nil mirum, si operetur, ne fructus possint à dominio separari ob bonorum possessoris publicationem. Tertiò, ex *l. Imperator* 12. *& l. Rogo* 21. *ff. de fideicommissariis libert.* ubi Firmius legavit tres servos Mutiano, hac lege, ne aliis servirent, & sic perinde est, ac si eorum alienationem expressè interdiceret, postea autem bona ejus legatarii publicata sunt; & decidunt illi textus eos servos non venire ad fiscum, sed statim consequi libertatem, non aliter, quàm si legatarius servos illos voluntariè alienasset. Ergo bona expressè prohibita alienari, nullatenus transeunt in fiscum. Nec prodest solutio, quam tradunt adversarii, nempe, in illis juribus alienationem interdictam fuisse favore ipsorum servorum, ac facta alienatione relictam esse illis libertatem; & ideò nil mirum, si libertatem obtineat, sive alienatio necessaria, sive voluntaria illorum contingat. Nec oportet naturalem legatarii mortem condemnati expectare, ne interim contingat servum decedere, & illius morte legatum libertatis extingui. Non (inquam) solutio hæc satisfacit: nam ideò publicatione bonorum obtinetur libertas, ne servi illi contra testatoris voluntatem in alterius, nempe, fisci servitutem incidant. Ergo pari modo ne bona in extraneam personam, qualis est fiscus, adversùs testatoris interdictum transeant, pertinebunt secuta publicatione ad alios vocatos. Hæc etiam sententia constabit magis ex solutione contrariarum rationum, quam *num.* 33. ponemus. Et ideò pro hac sentent. citantur communiter *Rartolus d. l. Imperator*, *numero unico*, *& l. Si finita* 15. §. *de vectigalibus*, *num.* 13. *versic. Terriò obstat*, *ff. de damno infecto*, *& l. Si quis in tantam* 7. *num.* 12. *C. unde vi. Alexand. d.* §. *Si de vectigalibus*, *num.* 36. *& ibi Romanus num.* 21. *Bald. l. Legatarius*, *in fine ff. de excus. tutor. Bartholomaus Soc. cons.* 266. *num.* 35. *vol.* 2. *& cons.* 121. *num.* 22. *volum.* 4. *Grammaticus decis.* 105. *n.* 29. *in fine*, *& duplici seq. Gozadin. cons.* 103. *num.* 23. *in init. Cepola cons. civili* 58. *num.* 3. *Boerius decisione* 178. *num.* 6. *Ruinus consil.* 129. *num.* 4. *volum.* 2. *Chassanæus in consuetud. Burgundiæ*, *rubrica* 2. §. 2. *in principio numero* 15. *Hippolyt. de Marsiliis l. finali numero* 194. *ff. de jurisdict. omn. judic. Cotta in memorabilibus juris*, *verb. Confiscatio bonorum*, *in fine*, *& verbo Testamentum*, *in quo pater præterit filium bannitum*, *versicul. Et ideò dicunt communiter Doctores*, *Roland. consil.* 101. *num.* 25. *&* 26. *& consil.* 57. *numero* 8. *volum.* 1. *Emmanuel Suarez in suo thesauro receptarum sentent. littera A. verbo Alienari*, *num.* 160. *& ibi Tobias Nonius consil.* 97. *numero* 5. *volum.* 1. *Joannes Garzia de expensis cap.* 10. *num.* 48. Sed Doctores hi non satis explicant suam mentem, solùm enim dicunt bona expressè prohibita alienari in favorem aliorum non publicari: & eodem modo loquuntur *Petra de fideicommissis quæst.* 8. *numero* 114. *& multis sequentibus*, *Crassus de successione ex testamento*, *& ab intestato*, *statim in princip.* §. 1. *numer.* 16. Quare possunt explicari de confiscatione perpetua, atque adeò, ut non negant confiscationem fructuum durante condemnati vita. Sed re vera *Rolandus*, *& Petra*, *& Crassus*, malè possunt ita declarari, quia referunt pro se *Alexandrum* statim allegandum, ejusque fundamentis innituntur, qui præcipuus Auctor hujus sententiæ est. Atque in propriis terminis hanc sententiam tuentur *Alexand.* latissimè probans *consil.* 23. *à numer.* 3. *usque in finem*, *volum.* 1. *Curtius Junior consil.* 102. *numero* 10. *&* 11. *Jason l. Filiusfamilias* 117. §. *Divi*, *el.* 2. *in secunda lectura*, *notabili* 6. *numero* 19. *ff. de legat.* 1. *& ibi Ripa num.* 47. *Idem Jason l. finali* §. *Sed quia nostra*, *num.* 1. *notab.* 1. *C. communia de legat. Marianus Socinus Junior d.* §. *Divi*, *num.* 39. *& ibi Ambrosius de Opizonibus num.* 47. *in fine*, *&* 48. *Idem Marianus Socinus Junior*, *dicens esse* communem sententiam ferè omnium, *cons.* 49. *à numer.* 4. *usque ad* 9. *volum.* 3. *Decius consil.* 442. *num.* 27. *&* 28. *volum.* 3. *Ruinus consil.* 193. *num.* 4. *volum.* 2. *& cons.* 23. *num.* 15. *vol.* 5. *& cons.* 25. *num.* 11. *& consil.* 50. *num.* 94. *&* 95. *volum.* 1. *Hippolyt. de Marsiliis cons.* 49. *à numer.* 50. *usque ad* 56. *Alciatus consil.* 67. *num.* 1. *& consil.* 76. *num.* 1. *lib.* 9. *tomo* 3. *Gratus cons.* 21. *num.* 68. *volum.* 2. *Berojus in suis quæst. familiaribus quæst.* 41. *num. penult. & ultimo*, *& consil.* 78. *num.* 12. *volum.* 1. *Bernardus Diaz in sua pract. in nova editione cap.* 132. *num.* 4. *in fine*, *Plotus inter consilia criminalia Zileti*, *tomo* 1. *cons.* 130. *nu.* 96. *Julius Clarus in sua practica*, *lib.* 5. *receptar. sentent. quæst.* 78. *num.* 19. *Antonius Gabriel in suis communibus opin. lib.* 7. *titul. de criminalibus*, *concl.* 24. *num.* 3. *Bossius* dicens, sic quotidie observari, repellique fiscum *in sua practica*, *titul. de bonorum publicatione numer.* 34. *Segura l. Cohæredi* §. *Cum filia*, *à num.* 256. *usque ad* 277. *ff. de vulgari*, *Tello l.* 24. *Tauri*, *nu.* 19. *Sarmiento lib.* 6. *selectarum*, *cap.* 4. *num.* 5. *paulo ante versic. Nec obstat*, *Menochius consil.* 104. *num.* 42. *volum.* 1. *Riminaldus Junior consil.* 131. *num.* 48. *volum.* 2. *& cons.* 313. *numer.* 80. *volum.* 3. *Hieronymus Gabriel* dicens hodie hanc sententiam reputari verissimam, & esse receptissimam, totoque orbe servari, *consil.* 284. *num.* 2. *&* 3. *& consil.* 123. *à num.* 3. *usque ad* 16. *volum.* 1. *& consil.* 73. *num.* 1. *volum.* 2. *Pancirola consil.* 181. *num.* 1. *volum.* 1. *Botta consil.* 39. *num.* 1. *& sequentibus volum.* 1. *Farinacius in sua practica*, *in nova editione*, *tomo* 1. *parte prima titul. de delictis*, *& pœnis qu.* 25. *num.* 35. dicens esse communissimam sententiam, ac usu receptam. Atque eidem sententiæ mirum in modum favent *Cephalus consil.* 264. *numero* 11. *volum.* 2. *& Surdus decisione* 254. *num.* 35. *parte prima* multos allegans, ubi dicunt concurrente expressa alienationis prohibitione cum tacita juris, auferri universam alienandi facultatem, etiam in casibus aliàs permissis.

16 At *Molina lib.* 1. *de primogen. cap.* 20. *num.* 10. *& duplici sequenti*, *& lib.* 4. *c. ult. num.* 11. *&* 12. nititur hanc sententiam cum priori concordare, ut prior velit solas ususfructus commoditates transire in fiscum: posterior autem non transire verum ususfructus jus: atque ita eam differentiam constituit inter tacitam, & expressam alienandi prohibitionem, ut quando est sola tacita, jus ususfructus transeat in fiscum; at quando est expressa, sola illius commoditas. Quippe translatio juris ususfructus est quædam alienationis species: secùs de translatione solius commoditatis. Et fatetur *eo c. ult. nu.* 12. parum distare inter utrumque loquendi modum, quod attinet ad fisci utilitatem, & damnum successorum in ea alienari prohibita, & esse quæstionem quasi de nomine. Cum juxta utrumque loquendi modum, eamdem, & integram fructuum illorum commoditatem percipiat fiscus solo ejus possessoris vitæ tempore, ac ea privetur sequens vocatus. At hoc discrimen, concordiamque impugnat *Molina è nostra Societate Jesu*, *tom.* 2. *de just. disp.* 470. *colum.* 9. *versic. Id præterea*, *& tom.* 3. *disp.* 656. *num.* 6. dicens juxta priorem opinionem, sive prohibitio alienationis sit expressa, sive tacita, non transire in fiscum verum ususfructus jus, sed solas illius commoditates. Quia jus ususfructus est personale, nequirque à vero dominio separari, §. *Finitur autem*, *institut. de usufruct.* ac proinde esset alienatio dominii rei illius prohibitæ alienari: hæc autem alienatio pugnat sive cum expressa, sive cum tacita alienandi prohibitione. Cæterùm quatenus *noster Molina* ait pugnare cum tacita alienandi prohibitione translationem dominii eorum bonorum pro tempore vitæ possessoris, id non approbo. Quia *numero secundo* probavi cum sola expressa pugnare; ac proinde optimè potest dici, quando est sola tacita alienandi prohibitio, transire in fiscum dominium, ac jus ususfructus illorum bonorum pro tempore vitæ possessoris, quale apud illum possessorem erat. Concordiam tamen illam, quam *prior Molina* tradit duplicis propositæ sententiæ, censeo omninò rejiciendam. Quia difficillimum est creditu, ne impossibile dicam, tot Doctores gravissimos in re tam trita, & vulgari, qualis est differentia inter jus ususfructus, & ejus commoditates, errasse, atque adeò institisse in quæstione de nomine, ac proposuisse multas rationes, solvisseque contrarias. Præterea, quia passim, & promiscuè Doctores utrinsque sententiæ utuntur usufructu, & ejus commoditatibus, quasi quo ad hanc confiscationem usurpantes usumfructum pro ejus commoditate. Quare dum posterior sententia negat usumfructum confiscari, quando est expressa alienationis prohibitio, ut vera loquitur

quitur de ususfructus commoditate. Ut optimè adnotat *Peregrinus de jure fisci*, *lib.* 5. *titul.* 1. *num.* 98. *in fine* Quod etiam inde concluditur; nam sustinet hæc posterior sententia, post condemnationem possessoris rei prohibitæ expressè alienari, eam deferri aliis vocatis: quod non contingeret si commoditates confiscarentur. Nec Doctores, quos pro se *prior Molina* affert, id dicunt, nec aliquid juvant.

17 Atque hæc posterior sententia, quam amplectimur, variis modis ampliatur. Primò, ut habeat verum, etiam quando ultra fideicommissum, in quo est sola tacita prohibito alienationis, interdiceretur expressè divisio eorum bonorum. Quia hujusmodi prohibitio vim habet expressæ alienandi prohibitionis: divisio enim appellatur alienatio, *l. Si pupillorum* 7. *statim in principio ff. de rebus eorum*. Et probat *Ruinus consilio* 117. *numero* 19. *volum.* 3. Et quamvis de hac ampliatione dubitet *Peregrinus de jure fisci libro* 5. *titulo* 1. *numer.* 98. *vers. Quam tamen conclusionem*: at illam docent *Ruinus consil.* 23. *num.* 15. *lib.* 5. *Roland. consil.* 84. *à num.* 35. *volum.* 1. *Tobias Nonius consil.* 97. *à numer.* 3. *volum.* 1. *Farinacius in sua practica*, *in nova editione*, *tomo* 1. *part.* 1. *titul. de delictis*, *& pœnis quæst.* 25. *num.* 31. Atque idem est dicendum, quando non est ita expressa alienandi prohibitio, sed post fideicommissum apposita est clausula. *Quia volo bona perpetuò conservari in familia*, *vel agnatione*. Quippe ex ea clausula inducitur expressa alienationis prohibitio. Sic *Julius Clarus in sua practica*, *lib. quinto receptar. quæst. septuagesima octava num.* 10.

18 Secundò ampliatur, ut habeat verum, quamvis non sit absolutè alienandi prohibitio, sed extra certum personarum genus, ut extra familiam. Quòd militent rationes *numero decimoquinto* traditæ. Et quamvis *Imola l. Si finita* 15. §. *Si de vectigalibus*, *num.* 54. *ff. de damno infecto*, teneat contrarium, dicit enim emphyteosim privati prohibitam alienari in potentiorem, atque adeò in certum personarum genus, transire in fiscum; eò quòd ea prohibitio alienandi ita limitata non excludat alienationem legalem, qualis est hæc. Et contrarium etiam tenet *Alexand. in addit. ad Bartolum*, *auth. Ingressi*, *littera C. verb. In Ecclesiam. C. de sacrosanct. Eccles. & Bossius in sua practica*, *titul. de bonorum publicatione*, *nu.* 41. vacillat nunc in unam, nunc in alteram partem inclinans, & dicit contrarium posse optimè defendi. At hanc ampliationem videntur tenere *Bartol. l. Si quis in tantam* 7. *num.* 12. *C. unde vi*, *Alexand. consil.* 23. *n.* 6. *vol.* 1. ubi dicunt prohibita alienari favore tertii, ut dotem favore mariti, aut favore certi generis personarum, non transire in fiscum. Et consequenter omnes Doctores allegati *n.* 15. pro nostra principali sententia videntur tenere hanc ampliationem. Quia omnes illi hostamquam principales ejus sententiæ auctores referunt. Et ita *Bossius eo. num.* 42. fatetur esse communem, ac praxi receptam, & eam quoque tenent *Antonius Gabriel in suis communib. opin. libr.* 7. *tit. de criminalibus*, *conclus.* 24. *in fine*, *Farinacius ea quæst.* 25. *num.* 32. dicens ab ea minimè recedendum esse, tamquam à communi, & recepta praxi.

19 Limitatur etiam prædicta sententia aliquibus modis. Primò, ut non procedat in delictis comprehensis in Bulla Sixti V. edita anno 1. ejus Pontificatus contra bannitos, & quosdam facinorosos. Quia in ea Bulla expressè decidit eorum delinquentium bona publicanda durante eorum vita, non obstantibus quibuscumque fideicommissis, substitutionibus, ac dispositionibus testatoris, sub quavis verborum forma, etiam strictissimis clausulis, & cautelis concepta. Sic *Farinac. eadem quæst.* 25. *nu.* 39. *in fine*; additque cum *Sfortia Oddo cons.* 53. *à nu.* 6. *usque in finem*, *volum. primo* latissimè id probante, hoc non extendi ad alia delicta non comprehensa in ea Bulla.

20 Secundò limitatur, ut intelligatur, quoties alienationis prohibitio est valida: Quippe invalida nil operari potest. Sic *Farinacius eadem quæst.* 25. *numero* 48.

21 Hinc deducitur, quando condemnatus est descendens, posse fiscum non obstante alienationis prohibitione deducere illius legitimam. Quia in ea nullum gravamen apponi potuit, & ideò instar bonorum liberorum confiscabitur. Sic *Julius Clarus dict. quæst.* 78. *num.* 10. Et multis aliis citatis *Farinacius ea q.* 25. *n.* 40. qui videndus est usque ad *n. eorum.* 45. ubi latè tractat, quando id onus legitimæ imponi valeat, & sic non confiscetur, & *ibidem* etiam disputat quando Trebellianica publicetur.

22 Tertiò limitatur, ut non procedat quando prohibitio alienandi non est simplex, sed limitata ad contractus, ut quia disponens interdixit solam alienationem inter vivos: tunc enim ea bona ad fiscum transeunt. Atque ita docent aliis citatis *Peregrinus de jure fisci*, *lib.* 5. *titul.* 1. *n.* 98. *in fine*, *Bajard. addit. ad Julium Clarum*, *lib.* 5. *quæst.* 78. *n.* 43. *Riminaldus Junior consil.* 384. *n.* 289. *in fine*, *&* 290. addens transire ad fiscum cum sua causa, nempe, ut restituat sequenti vocato post condemnati mortem.

23 Ultimo limitatur, nisi omnes personæ, quarum causa interdicitur alienatio, defuerint, & sic fideicommissum sit in delinquentis persona extinguendum, tunc enim ea bona in fiscum transeunt. Quia cum jam nullus extet, cui bona restituenda sint, cessabit prohibitio cessante ejus causa. Sic *Hippolytus de Marsiliis singulari* 314. *n.* 3. *Farinacius allegato Mandello ea q.* 25. *n.* 49.

24 Quò autem opinionem varietas evitetur, & fideicommissa quæcumque, & bona prohibita alienari, ac majoratus non veniant ad fiscum aliquo modo, etiam quo ad fructus, durante possessoris vita, est optima cautela, ut testator, aut institutor illius majoratus, aut fideicommissi, disponat ut eo ipso, quòd possessor tractaverit, aut statuerit de committendo delicto, cui adnexa est bonorum publicatio, amittat eum majoratum, aut fideicommissum, & ad sequentem vocatum transeat cum omnibus suis commoditatibus: tunc enim nec commoditas majoratus ad fiscum pertinebit, sed à die commissi delicti ad sequentem successorem transibit. Quippe hoc non fit in fraudem fisci, nec in utilitatem possessores delinquentis, sed in familiæ commodum. Præterea, quia in hoc casu fiscus à lucro captando excluditur, non autem à jure quæsito. Quare non obstat *l. Filiusfamilias* 117. §. *Divi*, *el* 2. *ff. deleg.* 1. ibi: *Neque fisco fraudi esse*. Quia loquitur quando fisco est jus quæsitum. Ut *n.* 33. ostendemus. Nec etiam obstat *l. finalis*, cum ibi notatis per *Bart. ff. de stipulatione servorum*, quia fatetur non debere esse in potestate delinquentis evadere pœnam; at testator, qui non deliquit, potest id onus suis bonis adjicere, & alium fisco præferre: ut dicam *num.* 27. nec dolo videtur facere utens jure suo. Atque ita docent *Marianus Socin. Junior cons.* 49. *num.* 2. *vers. Aliquando*, *& secundò*, *volum.* 3. *Alciat. d.* §. *Divi*, *num.* 6. *in fine*, *& ibi Ruinus numer.* 11. *notab.* 4. *Bolognetus n.* 80. *&* 101. *Hippol. de Marsiliis singulari* 314. *in fine*, *Roland. consil.* 56. *num.* 11. *vol.* 1. *Peraltæ l.* 3. §. *Qui fideicommissam*, *num.* 127. *ff. de hæredis instit. Tello* latissimè probans *l.* 27. *Tauri*, *num.* 18. *&* 19. *Idem Ruinus cons.* 129. *nuo.* 4. *volum.* 2. *Bossius in sua pract. titul. de bonorum publicatione*, *numer.* 30. *Anton. Gomez l.* 40. *Tauri*, *num.* 91. *volum. penult. versicul. Quod tamen singulariter limitat*. *Molina lib.* 4. *de primogen. capit. ultimo*, *numer.* 16. *Peregrinus* re latissimè disputata, *de jure fisci lib.* 5. *titul.* 1. *num.* 103. *&* 104. ubi & alios refert, & dicit sic fuisse decisum in senatu: *Cantera in suis quæst. criminalibus titul. de quæst. tangentibus punitionem delictorum cap.* 1. *num.* 51. *Meier de majoratu*, *in* 1. *edit. part.* 4. *quæst.* 23. *num.* 1. *&* 20. *Menochius cons.* 91. *numer.* 6. *volum.* 1. *Riminald. Junior consil.* 131. *numer.* 63. *volum.* 2. *& latè cons.* 193. *à num.* 1. *vol.* 2. *consil.* 50. *numer.* 95. *vol.* 1. *Marzarius epitome de fideicommissis*, *tota qu.* 47. *Petra de fideicommissis quæst.* 8. *numer.* 111. *Hieronymus Gabriel cons.* 123. *numer.* 12. *vol.* 1. *Pancirola cons.* 181. *numer.* 1. *vol.* 1. *Sfortias Oddo consil.* 53. *à num.* 7. *usque ad* 14. *volum.* 1. *Tobias Nonius consil.* 97. *num.* 2. *volum.* 1. *Farinacius in sua practica*, *in nova editione*, *tomo* 1. *part.* 1. *titul. de delictis*, *& pœnis quæst.* 25. *numer.* 23. *& duplici sequenti*, *Bajardus addit. ad Julium Clarum*, *libr. quinto*, *quæst.* 78. *numer.* 38. *Molina Societatis Jesu tomo* 3. *de justitia*, *disputat.* 656. *numero ultimo*. Utrum autem hæc clausula apponi valeat, ac fiscus excludatur, quando possessor majoratus incidit in crimen læsæ majestatis divinæ, vel humanæ, vel sodomiæ, ob idque bona ejus publicantur, dicemus *n.* 45.

25 Subjicit autem *Molina eo cap. ultimo*, *numer.* 17. opus esse ad fisci exclusionem, ut in prædicta clausula decernatur hanc majoratus amissionem, & transitum in sequentem successorem, fore eo ipso, quòd possessor tractaverit, aut statuerit de tali delicto perpetrando: secùs si dicatur, ut à puncto commissi jam delicti transeat majoratus in sequentem successorem. Quippe cum à puncto commissi delicti jus in illorum bonorum commoditates fiscus acquisierit, non potest eo jure privari. Sed jure optimo *Molina Societatis Jesu eadem disput.* 656. *num. ultimo*, hanc limitationem rejicit, dicitque utrovis modo adjecta clausula, excludi fiscum, & commoditates illas ad sequentem vocatum pertinere. Quia cum utrovis modo facta sit dispositio ante commissum delictum, & consequenter ante ullum jus ad eas commoditates acquisitum fisco, quamvis facta sit in tempus, quo delictum committetur, & sub conditione si committatur, & in tempus, quo jus ad eas commoditates fisco acquireretur, non præmissa hujusmodi dispositione, nil est, quod hujus dispositionis valorem impediat. Nec enim fiscus statim commisso delicto acquiret jus in eas commoditates, quando juxta instituentis dispositionem est præventum, ne fiscus id jus acquirat. Hoc etiam apertè innuit *Antonius Gomez numero præcedenti* relatus, his enim verbis appositis prædictam limitationem. *Præterquam si per disponentem sit dictum*, *quòd facta*, *vel attentata alienatione*, *vel delicto*, *statim transeant bona in sequentem successorem*. *Quia tunc bona non transirent in fiscum etiam durante vita condemnati*, *nec etiam*, *quo ad commoditatem*, *& perceptionem fructuum*. Ubi notanda sunt ea verba, *facta*, *vel attentata*, quibus apertè significat nil referre, sive institutor dicat, attentato delicto, quod contingit, antequam commitatur, sive dicat, commisso jam delicto.

26 Atque similiter excludetur fiscus, si institutor decernat, ne bona illa etiam brevi temporis momento penes alium à successore resident, vel ne bona illa publicentur ob delictum, etiam quo ad fructus durante possessoris vita, sed statim ad sequentem successorem transeant. Sic *Antonius Gomez num.* 24. relatus. Et probat ex *l. Imperator* 12. *ff. de fideicommiss. libert.* ubi deciditur testatore legante alicui servos, ea lege, ut nulli alii serviant, sed continuò penes legatarium sint, eos non publicandos ob legatarii delictum, sed statim libertatem adepturos. Et ad hoc ait commendari hunc textum à *Bartolo*, *Alexandro*,

dro, & Segura, quos *ibi* refert. Atque valere eam prohibitionem, quamvis expresè interdiceretur à disponente transitus eodem bonorum in fiscum, tenet aliis relatis *Farinacius ea quæst.* 25. *numero* 23. & 24. Et probant eisdem rationibus *numero vigesimo quarto* allatis. Idem tradunt *Bossius in sua practica, tit. de bonorum publicat, n*, 30. *Tello l*, 27. *Tauri, num.* 19.

27 Quòd si opponas doctrinam *Bart. l. Post contractum* 15. *num* 9. *ff. de donat.* & *Antonii Gabrielis in suis communibus opinionibus, lib.* 7. *titul. de criminalibus, conclusione* 24. *num.* 7. ubi tradunt prohibitionem in fraudem fisci non valere. Respondeo cum *Bossio eodem titul. de publicatione bonorum, n.* 30. *Farinacio eodem q.* 25. *num.* 26. *Tobia Nonio cons.* 79. *nu.* 2. *vol.* 1. doctrinam *Bartoli* accipiendam esse, quando disponens est ille, qui delinquit, aut delinquere cogitavit: ut apertè constat ex ipsis *Bartoli* verbis ibi: *Non valet si quis dicat, Dono tibi, si contigerit bona meo publicari.* Tunc enim non obstaret ea prohibitio confiscationi utpote in fisci fraudem facta: & quia in delinquentis potestate non est eam pœnam evadere. At secùs est, quando disponens non est, qui deliquit, aut delinquere cogitavit, sed in eventum delicti aliorum disponit: tunc enim non dicitur in fraudem fisci disponere, sed potius ut instituti delictum caveant: ac proinde hoc in publicam utilitatem cedit.

28 Non valet autem prædicta clausula, si ea non in familiæ favorem, sed possessoris majoratus delinquentis adjecta sit. Ut si institutor præciperet, nec momento commoditates majoratus ad fiscum pertinere, sed ad illius possessorem, quamvis delictum confiscatione dignum perpetraret, dispositio est nulla, & ideò ea non obstante pertinerent à die delicti ad fiscum, dum possessor ille viveret. Quippe cum per eam dispositionem, nec bonis majoratus, nec familiæ prospectum sit, sed soli delinquenti, id in fraudem fisci cedit, ad quod non se extendit facultas instituentis, *l. Filiusfamilias* 117. §. *Divi, el* 2. *ff. de legat.* 1. Sic docent *Molina lib.* 4. *de primogen. c. ult. n.* 13. & *duplici sequenti*, & *alter Molina tomo* 3. *de justit. disp.* 656. *num.* 6.

29 Quare ut adhuc firmior sit prædicta clausula, ac universæ difficultates cessent, quæ circa hoc moveri possent, cautela erit impetrare à principe confirmationem clausulæ, vel ut disponens suam mentem declaret, dicens se eam prohibitionem principaliter apponere gratia conservandi ea bona in sua familia, & non causa defraudandi fisci. Sic *Mazarius de fideicommissis, qu.* 47. *versic. Additum tamen fuit*, *Farinacius eadem q.* 25. *num.* 29. & 30.

30 Id tamen observandum est circa prædictam clausulam deferentem bona sequenti vocato, quando possessor incideret in crimen publicationi bonorum subjectum, transeant ea bona in sequentem vocatum, non eo rigore, quem verba significant, accipiendam esse, ut statim commisso delicto teneatur possessor in foro conscientiæ à se abdicare eum majoratum, ac illum tradere sequenti vocato. Quippe attenta institutoris mente, ea clausula est benignius interpretanda, nimirum, ne teneatur possessor ad id, donec sententia condemnatoria, aut declaratoria ejus delicti sequatur. At ea clausula hoc operatur, ut lata sententia contra possessorem, dominium eorum bonorum retrotrahatur, ad illumque fructus illius majoratus pertineant à die commissi criminis: sicut ea clausula non apposita pertinere deberent ex tunc ad fiscum. Ratio autem sic interpretandæ mentis institutoris est, quia eam clausulam apposuit gratia soli familiæ prospiciendi, ne bona extra illam transeat, quod integrè servatur possessore retinente majoratum, & ejus fructus, donec criminis illius reus declaretur, cum in solùm spoliandus sit bonis majoratus, ac ejus fructibus, secuta prædicta sententia, institutor in eo solo eventu providit, præfatam clausulam apponendo, successor enim solùm vocatur in possessoris defectum. Cui enim dicitur in ea clausula transituram majoratum ipso facto, vel eo ipso à puncto attentati, vel commissi delicti, illud verbum non importat translationem dominii, sed ea bona peculiari ratione affecta esse, & obligata successori, ita ut facta criminis declaratione dominium retrotrahatur. Atque hæc optimè docet *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *articul.* 5. *dispur.* 169. *c.* 4. *n.* 37. *in fine*, & 38.

31 Quod si quæras, an relicta alicui cum conditione, ut si absque liberis decesserit, restituat alteri, confiscentur ob illius gravati delictum? Respondetur confiscari *citato Baldo, Gygas tractatu de crimine læsæ majestatis, lib.* 2. *tit. de pœnis committentium id crimen, quæst.* 15. *numero unico*, & *Bajardus citato Capitio, addit. ad Julium Clarum, libr.* 5. *quæst.* 78. *numer.* 32. Quod intelligo durante vita illius gravati sine filiis decedentis: cum sit fideicommissum, nec expressa alienandi prohibitio addit, quia tunc tamquam deficiente conditione sunt restituenda illi tertio. Si autem decedit ille cum filiis, & sic impletur conditio confiscabuntur in perpetuum, nisi quando ex peculiaribus conjecturis censentur vocati filii illi in conditione positi. Quia cum juxta receptiorem sententiam non censeantur vocati, nisi peculiares conjecturæ aliud suadeant, nullum jus iis filiis ad ea bona comparatum est, & ideo sicut pater poterat ea bona quocumque contractu alienare, ita poterit delinquendo, in fiscum. Si vero peculiares conjecturæ suadeant eos filios esse vocatos, confiscabuntur ea bona solo tempore vitæ gravati, ac eo defuncto succedent filii. Sicut de fideicommisso, in quo est sola tacita alienandi prohibitio, diximus *numero* 10.

32 Demum id monuerim, quoties bona fideicommissi, majoratus, aut quovis modo alienari prohibita, non publicantur quo ad usumfructum, sed statim transeunt ad sequentem vocatum, si sequens vocatus sit ejus delinquentis filius, nequaquam acquiritur patri usufructus in iis bonis, jure patriæ potestatis. Sic *Paulus authent, Excipitur, in principio numer.* 6. *C. de bonis quæ liberis*, *Angelus authent. Idem est, statim in principio*, *C. eodem titul. Peregrinus de jure fisci lib.* 5. *titul.* 1. *numer.* 105. Qui hoc probat, eò quòd generale sit in iis, quæ patri ob ejus delictum auferuntur, non quæri per filium patri usumfructum. Ut tradunt *Bart. l. Eum qui* 3. *in fine, ff. de interd. & relegat. Paulus*, & *Angelus* proximè allegati, *Hieronymus Gabriel consil.* 118. *numero* 12. *vol.* 1.

33 Ad argumenta opposita *numero* 14. ad probandum bona prohibita expresè alienari, confiscari durante possessoris vita, respondetur. Ad primum dic id verum esse, dum dominium permanebat apud illum: at cum statim ac condemnatur, censeatur vocatus sequens successor, ac dominium eorum bonorum in eum transeat, nequeunt fructus in posterum percipiendi confiscari, sed erunt successoris, ac veri illorum bonorum domini. Ad secundum dic eam prohibitionem non tantùm eò tendere, ne successoribus præjudicetur in fructibus percipiendis tempore vitæ delinquentis, sed ne etiam illis in dominio præjudicetur, quòd censetur prohibens transferre in vocatum, statim ac sequitur condemnatio, & cum eo fructus in posterum percipiendos. Ad tertium constat ex dictis *numero* 12. quippe textus clarè loquitur, quando est sola tacita alienandi prohibitio. Rationem aut differentiæ inter tacitam, & expressam alienandi prohibitionem, satis declaravi *numero decimequinto*. Ad quartum dic eam solutionem *glossæ ibi* adductam esse bonam. Ad replicam dic cum *Bologneto* §. *Divi*, *numero* 102. alios referente, quamvis re vera fiscus in eo eventu nomine creditorum comprehendatur, fuisse tamen opus illum explicare, eò quòd potuerit ea confiscatio consurgere ex causa testamenti, in quo incapax fuit institutus, & poterat dubitari, an ea confiscatio consurgens simul cum alienationis prohibitione, impediretur ob eam prohibitionem: & ideò decidit textus numquam eam prohibitionem præjudicare creditoribus prohibentis, nec fisco quacumque ex causa confiscet bona ob prohibentis delictum. Vel secundò respondet idem Auctor, nil absurdi esse, si post expressionem generis explicetur species magis digna. Ad quintum dic cum *eodem Bologneto eodem* §. *Divi*, *numero* 84. nullum sua prohibitione posse impedire alienationem necessariam, consurgentem ex facto, & ex causa ipsusmet prohibentis; at posse eam quæ pendet ex causa, & ex facto ejus, cui alienatio interdicitur. Quippe hujus factum nequit successoribus præjudicare. Secundò etiam responderi potest, hanc alienationem causa publicationis non reputari simpliciter necessariam, sed potiùs voluntariam (ut cum aliis latè probat *Petra de fideicommiss. qu.* 8. *à num.* 114.) Quia illa dicitur verè necessaria, quæ principium necessarium habuit: *teste Riminaldo consil.* 384. *num.* 42. *volum.* 4. At hæc habuit principium voluntarium, nempe, delictum, ob quod bona publicantur. Ad ultimum dic cum *Peregrino de jure fisci, lib.* 5. *titul.* 1. *n.* 101. *in fine*, multùm interesse inter causam creditorum, quæ de damno vitando tractat, & causam fisci lucrum intendentis: & ideò rationi disonare, ut privilegium ea lege in creditorum favorem inductum, extendatur ad fiscum,

SUMMARIUM,

Tripliciter potest majoratus institui, num. 34.

An bona majoratus confiscentur in perpetuum, ob crimen sodomiæ, læsæ majestatis divinæ, vel humanæ, possessoris illius? Refertur quadam sententia, num. 35.

Quando majoratus absque regio privilegio instituitur, non publicatur in perpetuum ob hæc crimina, num. 36.

Quid si ea bona donata sint à principe alicui, & ejus descendentibus, jure majoratus, an publicentur ob crimen læsæ majestatis humanæ? num. 37.

Quid si rex donasset ea hac lege, ut ob hoc crimen non publicentur? num. 38.

An publicentur tunc in perpetuum ob crimen hæresis, aut sodomiæ? num. 39.

Quid si ea bona donasset princeps secularis, & Pontifex eam confiscationis pœnam ob hæresim indiceret? n. 40.

An confiscetur in perpetuum majoratus ob illa crimina tria, quando instituitur ex regio privilegio, in quo apponitur clausula apponi solita in hoc regno? n. 41.

An confiscetur, quando institutor majoratus decerneret, ut ob ea crimina publicetur? n. 42.

Quid si in eo privilegio non apponatur clausula solita? n. 43.

An valeat clausula in regio privilegio apposita, ut non publicetur causa illorum trium criminum: & an claudantur hæc tria crimina, quando est sola clausula generalis, ne publicetur? nu. 44.

An quando est clausula in privilegio, ut ob hæc tria crimina publicetur, possit institutor hanc publicationem impedire? numero 45.

Quid, quando majoratus non ex regia facultate institutus, an possit institutor interdicere publicationem ob hæc tria crimina? num. 46.

An confiscetur in perpetuum, quando instituitur ex tertia, & quinta bonorum parte, in hoc regno, ex privilegio l. 27. *Tauri, si possessor incidat in hoc tria crimina? num.* 47.

Quid si hic majoratus instituatur etiam ex regio privilegio, cum absque illo institui possit? n. 48.

Quid si solam eam partem vinculo majoratus absque regio privilegio subjicere posset, idque impetratum est ad omnia bona vinculo illi subjicienda, ad tunc totus majoratus confiscetur ob hæc crimina: an sola pars privilegio indigens? Refertur opinio, num. 49.

Explicatur sententia Auctoris, num. 50.

Quid si tunc profiteretur instituere se majoratum virtute illius privilegii? num. 51.

An sanum sit consilium ad vitandas opiniones, ut institutor profiteatur se velle uti utravis facultate: & an sit consilium, quando instituit majoratum ex regio privilegio, absque quo non poterat in præjudicium descendentium, explicare se intendere solum uti regio privilegio, quo ad excessum illum? n. 52.

Quando majoratus est adeò antiquus, ut de ejus institutione non constet, an confiscetur ob hæc tria crimina? n. 53.

An regnum confiscetur ob hæresim, aut alia possessoris crimina? num. 54.

An si non aliter potest caveri malum publicum, possit Pontifex id regnum regi auferre: & similiter quiscumque majoratus ex bonis patrimonialibus instituto? num. 55.

An ob crimen læsæ majestatis divinæ, vel humanæ, possit domus majoratus dirui, aut solo æquari? n. 56.

An quando non confiscentur majoratus in perpetuum ob hæc crimina, confiscetur saltem quo ad fructus durante delinquentis vita? num. 57.

An quando ob hæc crimina confiscatur majoratus in perpetuum, maneant ea bona libera apud fiscum? n. 58.

Post n. 58. *invenies alia summaria, quæ desederantur.*

34 HUcusque dictum est de bonorum majoratus publicatione ob alia possessoris ejus delictum, præterquam delictum læsæ majestatis divinæ, vel humanæ, vel sodomiæ: at quando delicta sunt hæc, est gravissima difficultas, an bona majoratus confiscentur in perpetuum, & sint futura semper apud fiscum, exclusis universis successoribus ob hæc possessoris crimina, qui non est primus eius institutor. Peculiaremque dubitandi ansam in his criminibus præbet clausula adjici solita in hoc Castellæ regno in facultatibus regiis instituendi his majoratus, quæ habet, ut ob hæc possessoris crimina publicetur, ac in fiscum transeat. Atque ut difficultas hæc enodetur, oportet præmittere, posse quadrupliciter institui majoratum. Primo modo ex bonis patrimonialibus absque ulla regia facultate, sed ex sola juris communis concessione, qua cuilibet integrum est de suis bonis disponere, eisque adjicere quæcumque justa onera, eò quòd nullos habet hæredes necessarios. Secundo modo, quando ex regio privilegio instituitur. Tertio modo, ex concessione legis, ut in nostro Castellæ regno concessum per *l.* 27. *Tauri; hodie l.* 11. *titul.* 6. *lib.* 5. *recopil.* cuilibet habenti descendentes instituere majoratum ex tertia, & quinta bonorum parte, in favorem cujuslibet ex illis. Ultimo modo, quando majoratus est adeò antiquus, ut de ejus institutionis initio, quale fuerit, non constet, aut initium fuerit ex populi electione, quales sunt majoratus regum.

35 *Simancas de catholicis instit. titul.* 9. *à numer.* 253. *usque ad numer.* 273. allegato *Galindo*, latissimè probat ob hæresis crimen publicari in perpetuum bona majoratus, quovismodo ex prædictis instituti, eaque exclusis omnibus successoribus mansura in perpetuum apud fiscum: dicit *num.* 254. hoc esse verum, quamvis in regia facultate dicatur ea non esse publicanda ob hæresim. Et ipsum omninò sequitur *Azor. tomo* 1, *instit. moralium libr.* 8. *cap.* 12. *quæst.* 7. & 13. Huius sententiæ fundamenta latissimè referunt, & solvunt Doctores allegandi, & ideò brevitati studens ea omitto: & duo sola præcipua afferam. Prius est, quia nemo potest aliquem in suo testamento hæredem instituere contra legis dispositionem. At dispositio legis est, ut propter hæc crimina applicentur omnia delinquentis bona fisco. Posterius est, quia majoratus possessor non est merus usufructuarius, sed verus majoratus bonorum dominus, juxta veriorem sententiam. Ergo ob hæc ejus delicta sunt hæc bona publicanda in perpetuum.

36 Prima tamen conclusio sit. Quando majoratus absque regio privilegio institutus est, sed ex solo jure communi id permittente non habentibus hæredes necessarios, nequeunt bona ejus ob hæc tria possessoris crimina publicari in perpetuum. Ducor ex fundamento, quo id probavi *numero undecimo*, quande possessor alia crimina commisit: quippe idem prorsus probat in his criminibus: & ex eo solutum manet utrumque contrariæ sententiæ fundamentum. Publicantur enim in perpetuum bona, quorum delinquens est absolutus dominus, nec tenetur ea successoribus conservare, qualia non sunt bona majoratus, & jus ei sola priora bona publicanda decernit. Et idem probant *l. Eorum* 9. *ff. ad l. Juliam majestatis*, & *l. Jura libertorum* 4. *ff. de jurapatr.* & *cap. Felicis* 5. §. *Si qua vero feuda*, *de pœnis*, *in* 6. Et ideò hanc conclusionem tuentur *Gregor. Lopez l.* 6. *verb. Que la non pusiesse*, *paulo post principium*, & *quæst.* 2. *titul.* 11. *p.* 6. *Antonius Gomez l.* 40. *Tauri, num.* 91. *columna penultima ad finem*, *Tello l.* 27. *Tauri, num.* 29. *Molina l.* 2. *de primogeniis, cap.* 2. *num. decimo*, & *lib.* 4. *cap. ultimo*, *à numero* 31. *usque ad* 38. *Meres* latissimè probans *de majoratu, in priori editione par.* 4. *quæst.* 23. *à num. primo, usque ad* 22. *Cantera in suis quæstionibus criminalibus tit. de quæst. tangentibus punitionem delictorum, cap. primo, num. trigesimo tertio, ad finem*, *Molina è Societate Jesu tomo* 3. *de justitia disput.* 657. *à numero tertio, usque in finem*, & *disp.* 382. *à num.* 1. *Vasquez* 1. 2. *q.* 96. *artic.* 5. *disp.* 169. *cap.* 4. *à numero* 30. *usque ad* 41. & idem tenet loquens de hæresi paterna, docens ob id non publicari bona majoratus, *Probus addit. ad Monachium, c. Cum secundum leges, numero* 3. *in fine, de hæretic. in* 6. & loquens de crimine læsæ majestatis divinæ, vel humanæ tenet *Riminaldus Junior consil.* 384. *nu.* 289. Quod idem loquens de crimine læsæ majestatis humanæ, tenet *Crassus de successione ex testamento*, & *ab intestato, statim in principio* §. 1. *n.* 10.

37 Excipiunt aliqui ab hac conclusione, quando bona sunt à principe donata alicui, & ejus descendentibus, jure majoratus in perpetuum: tunc enim si quisquam ex majoratus possessoribus crimen læsæ majestatis in principem commiserit, sunt ea bona in perpetuum adjicienda fisco. Ducuntur primò ex quadam pragmatica *Henrici* qui ita declaravit. Ejus verba refert *utque Molina statim allegandus*. Secundò, quòd his donationibus jure majoribus à principe factis insit tacita conditio, ut illorum possessores serviant principi in bello, eique fideles sint. Quare rationi consonat, ut ob id crimen cujuscumque possessoris redeant ad coronam regiam, quasi principe causa ingratitudinis revocante eam donationem. Nec obstat hoc revocandæ donationis jus causa ingratitudinis competere soli donanti, & respectu solius primi donatarii. Ut constat ex *l. final. C. de revocand. donat.* ubi *cum glossa verbo Instituere*, omnes Scribentes id notant. Quippe donata à rege censentur à regia corona donari in remunerationem obsequiorum illi exhibitorum: quare cum regia corona semper duret, dicitur ingratitudo commissa adversùs primum donantem. Cum etiam ex donatione jure majoratus concessa censeantur tot donationes consurgere, quot sunt ad majoratum vocati, & unusquisque censeatur immediatè à rege donationem accipere: ut optimè explicant *Suarez in quæstione majoratus à num. decimo octavo*, & *Gregorius Lopez l.* 25. *verbo Omenaje*, *titulo decimo tertio*, *part. secunda*, censetur quilibet possessor hujus criminis reus, donatarius regis donantis, ac illi ingratus, ut ratione ingratitudinis revocetur donatio. Et ideò hanc sententiam tuentur *Molina libro* 4. *de primogen. cap. ult. num.* 46. 47. & 48. *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disputat.* 169. *capit. quarto, numero vigesimo octavo*, *Molina Societatis Jesu tomo* 3. *de justit. disput.* 660. *num. primo*. Quam limitationem sublimitat *prior Molina eo cap. ultimo, numero* 46. *in fine*, ut intelligatur in donationibus castrorum, vel oppidorum, vel aliarum similium rerum, sive titulo ducatus, marchionatus, aut comitatus: secùs autem de aliis peculiarium rerum donationibus. Quippe de illis, nec pragmatica *Henrici* loquitur: nec illis videtur præcisa servitiorum, ac fidelitatis necessitas exigi. Et idem apertè sentit *posterior Molina è Societate Jesu*, loquitur enim de bonis coronæ regiæ alicui donatis: & ait idem de titulis ducatus, marchionatus, aut comitatus à rege datis: quòd dati censeantur cum illa servitiorum, & fidelitatis conditione. Non tamen habet locum limitatio hæc, quando ea oppida, vel castra sunt à rege donata absque majoratus onere, & tamquam bona libera: quamvis enim donatarius instituereet postea ex his bonis absque regia facultate majoratum, non haberet naturam bonorum à rege donatorum. Ut optimè considerat *Suarez in ea quæstione majoratus num.* 23. Et ideò in his bonis non habebit locum hæc limitatio, & ideò non confiscabuntur in perpetuum ob id successorum crimen. Et ideò ita docet *prior Molina eadem cap. ultimo, num.* 48. Quæ quidem limitatio cum prædictis sublimitationibus satis mihi placet: quamvis probabile sit in nullis hi eventibus bona illa majoratus publicari in perpetuum. Atque ita *prior Molina eo cap. ultimo, numero* 42. *in fine*, asserit se vidisse prædictam limitationem satis controversam in litibus forensibus. Et *Gregor. Lopez libr.* 2. *verbo Mandas quæst.* 2. *titul.* 2. *part.* 7. tenet contra hanc limitationem, dicitque bona majoratus donata à rege, etiam titulo ducatus, marchionatus, aut comitatus, non publicari in perpetuum ob crimen læsæ majestatis possessoris, sed quo ad solas commoditates vivente possessore, nisi rex dedisset jure feudi, quod in dubio non præsumitur.

38 Sed circa hanc limitationem sunt tria observanda. Primum est. Ea secundùm aliquos est vera, quamvis rex ea castra, vel oppida jure majoratus donaret, ea lege, ut non publicentur ob crimen læsæ majestatis possessoris, adhuc enim ob id crimen ajunt in perpetuum publicari. Quod non valeat conventio inter donantem, & donatarium, ut donatio non valeat ratione ingratitudinis revocari. Sic *Molina lib.* 4. *de primogen. cap. ultimo num.* 69. Cæterùm jure optimo tunc non publicari docent *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *artic.* 5. *disp.* 169. *cap.* 4. *numer.* 28. & *alter Molina Societatis Jesu tomo* 3. *de justit. disputat.* 660. *nu.* 2. qui optimè fundamento contrario satisfacit dicens, si conditio esset, ut commoditas illorum bonorum manere deberet apud possessorem ejus criminis reum

reum convertiorem non valere, tamquam bonis moribus adversam, ac præbentem delinquendi ansam; at valere, nec bonis moribus adversari, quando in familiæ innocentis bonum, ea bona à perpetua confiscatione excluduntur.

39 Secundum est. *Molina è Societate Jesu ea disputat.* 690. *n.* 1. *in fine*, anceps manet & aliorum judicio remittit, num ob crimen hæresis, & sodomiæ possessoris majoratus, castra & oppida jure majoratus à rege concessa publicentur in perpetuum: & in eam partem inclinat, ut in hoc Castellæ regno sic publicentur. Quia in regiis privilegiis concessis in hoc regno ad instituendos majoratus ex bonis patrimonialibus, ea solet adjici conditio, ut in perpetuum publicentur ob crimen læsæ majestatis, divinæ, vel humanæ, aut sodomiæ possessoris. Ergo fortiori ratione censenda sunt concedi bona coronæ regiæ, jure majoratus, cum eadem conditione. At existimo non publicari in perpetuum, ob ea duo crimina. Quia cum in his criminibus non inveniatur ingratitudo adversùs regem donantem, nec infidelitas in obsequiis ipsi exhibendis, non militant rationes, ob quas *numero* 37. sustinui publicari ob læsæ majestatis humanæ crimen.

40 Ultimum est. Si donatio facta esset à principe sæculari, & Pontifex confiscationis pœnam indiceret ob hæresim possessoris, applicans ea bona Ecclesiæ, prout integrum ei est, non publicaretur majoratus ille in perpetuum, sed quo ad solas commoditates vivente possessore. Quippe respectu ejus pœnæ ita se haberet majoratus ille, ac si ex propriis bonis institutus esset; nec ratio confiscationis indictæ à principe sæculari militat in hoc eventu; nam princeps ideò suo fisco ea bona applicat ob crimen læsæ majestatis humanæ possessoris, quia potest donationem à semetipso factam revocare ob possessoris ingratitudinem: quod locum non habet in pœna confiscationis à Pontifice imposita, si donatio bonorum sit à principe sæculari facta. Et ita docet *Vasquez* 1. 2. *qu.* 96. *articulo* 5. *disputat.* 169. *cap. quarto*, *num.* 28. *in fine*, *& vigesimo nono*.

41 Secunda conclusio. Quando majoratus regia facultate ex bonis patrimonialibus institutus est, & adjicitur clausula solita apponi in hoc regno in ea facultate, nempe, ut ea bona publicentur ob crimen læsæ majestatis, divinæ, vel humanæ, aut sodomiæ possessoris, si hic in aliquod illorum incidat, confiscatur in perpetuum, nec ad alios vocatos transit. Quippe cum princeps eam facultatem cum hoc onere concedat, ea utens in constituendo majoratu, censetur bona illius perpetuæ ob hæc crimina confiscationi subjicere. Atque ita docent *Molina lib.* 1. *de primogen. cap.* 2. *num.* 10. *& cap.* 12. *num.* 57. *& lib.* 4. *cap. ult. num.* 63. *Gregor. Lopez l.* 6. *verb. Que la non pudiesse*, *qu.* 2. *titul.* 11. *part.* 6. *Antonius Gomez l.* 40. *Tauri*, *nu.* 91, *col.* 4. *& columna ultima*, *Meres de majoratu*, *in priori editione part.* 4. *quæst.* 23. *numero vigesimo tertio*, *Cantera in suis quæstion. criminalibus*, *titul. de quæstionibus tangentibus punitionem delictorum*, *cap.* 1. *num.* 52. *Alter Molina Societatis Jesu tomo tertio*, *de justit. disput.* 582. *numero primo*, *& disput.* 657. *num.* 2. *in initio*.

42 Imò idem probat *Meres eo n.* 23. quando solus institutor majoratus decerneret bona illius ob hæc tria crimina publicari. Quòd valde conducat ad coercendos successores ab his criminibus perpetrandis. Et placet mihi.

43 Sed specialis difficultas est de hac confiscatione, quando ea clausula non apponitur in regio privilegio, nec in majoratus institutione. Videtur enim adhuc posse ea bona ex tribus his criminibus in perpetuum confiscari. Quia clausula omissa censetur apposita, quoties ferè semper apponi solet, *l. finali C. de fidejussor.* & notant communiter Scribentes, *c. Cùm M. de constit.* Secundò, quia cum hic majoratus ex regia facultate pendeat, censentur ea bona à principe jure majoratus donata: hæc autem publicari ob hæc tria crimina in perpetuum dixi *numero* 37. At dicendum est tunc non confiscari in perpetuum. Primò, quia ea communis regula, ut clausula solita à principe apponi censeatur apposita, tunc habet verum, quando facultas expediri non solet absque ea, secùs quando interdum cum ea, aliquando autem absque ea expeditur, prout hic contingit, quamvis prior expediendi modus sit frequentior. Ut cum *Bartolo*, *Baldo*, *& aliis* probat *Molina de primog.* statim referendus. Secundò, quia quod juxta ipsius rei naturam, & juris dispositionem omittitur, non est supplendum, ac censendum apponi. At juxta ipsius naturam, & juris dispositionem, majoratus minimè ex his tribus criminibus in perpetuum publicatur. Tandem, quia ea regula, ut donatio facta ex alicujus facultate censeatur ab ipso fieri, intelligitur, quando res donata est ipsiusmet consentientis. Et ideò rationes in contrarium adductæ cessant. Atque hanc sententiam amplectitur *Molina lib.* 4. *de primogen. cap. ultimo*, *à numero* 64. *usque ad* 67. quamvis *eo numero* 67. aliquantulum trepidet, & dicat deliberandum ampliùs esse, cum casus contigerit, præsertim si de facultatibus recentioribus agatur. Quòd hæ numquam concedantur, nisi his criminibus exceptis, quare ex hujus clausulæ omissione censentur suspectæ de falsitate, nisi ex deliberata principis voluntate eam omissam esse constet. Nam deviantia à communi stylo hanc suspicionem habent. Ut ex multis probat *Felinus cap.* 2. *à num.* 16. *de rescript.* Sed hanc partem absque hoc dubio sustinent *Antonius Gomez l.* 40. *Tauri*, *numero* 91. *colum.* 5. *Molina Societatis Jesu tomo* 3. *de just. disput.* 657. *numero* 2. *versicul. Quando in facultate regia*. Quare audiendus non est *Cantera in suis quæstionibus criminalibus*, *titul. de quæst. tangentibus punitionem delict. cap.* 1. *num.* 52. *versicul. Quando dicitur*, ubi ait tunc non tantùm publicari majoratum ob hæc crimina, sed ob quæcumque alia, ob quæ publicarentur bona libera. Ducitur autem, quia quæ in ipso privilegio non declarantur, remanent in dispositione juris communis. Sed hæc ratio procederet, si attento jure communi esset publicandus: cujus contrarium ex dictis apparet.

44 Ex his deducitur primò valere clausulam in regio privilegio appositam interdicentem publicari ob hæc tria crimina majoratum. Tum quia ob eam solam rationem confiscatur, quod princeps apponit clausulam in privilegio, ut ob ea crimina confiscetur. Ergo integrum est principi confiscationem impedire, aut non apponendo clausulam, ut confiscetur, aut apponendo contrariam. Tum etiam, quia non impeditur confiscatio in delinquentis favorem, sed totius familiæ innocentis. Et sic docent *Molina libr. quarto de primogen. cap. ultimo*, *numer.* 69. *Alter Molina Societatis Jesu eadem disput.* 657. *num. secundo*, *versic. Quia ergo*, *Antonius Gomez l.* 40. *Tauri*, *num.* 91. *colum.* 4. *Cantera eodem cap.* 1. *nu.* 51. Qui tamen addit, non sat esse ad hoc clausulam generalem interdicentem publicari, nisi expressa horum trium criminum mentio fiat. At verius credo non opus esse ea specifica mentione. Quia juxta dicta *numero præcedenti* exigitur specialis clausula, ut ob hæc tria crimina publicetur.

45 Secundò deducitur non esse integrum institutori majoratus virtute clausulæ regiæ jubentis majoratum publicari ob hæc tria crimina, interdicere hanc publicationem, quacumque clausula eò tendente apposita: quare non oberit huic publicationi clausula ab eo apposita, ut eo ipso, quòd majoratus possessor tractaverit de aliquo horum criminum perpetrando, aut hora antecedenti transeat ad ulteriùs vocatum. Quippe id esset regiam facultatem elidere, ac contra eam disponere. Et ita docent *Molina lib.* 2. *de primog. cap.* 12. *numer.* 57. *& lib.* 4. *cap. ultim. num.* 63. *Alter Molina Societatis Jesu ea disp.* 657. *num.* 2, *vers. Observat, verò*.

46 Quando autem primogenium non ex regia facultate instituitur, potest adjici prædicta clausula impediens confiscationem: juxta ea, quæ diximus *num.* 24. *& sequent.* de confiscatione ob alia crimina. Et ita docent *Tello l.* 26. *Tauri*, *num.* 17, *&* 19. *Meres de majoratu*, *in priori editione*, *p.* 4. *qu.* 23. *nu.* 1. *Molina libro* 2. *de primogen. c.* 12. *nu.* 58. *Cantera d. c.* 1. *num.* 53.

47 Tertia conclusio. Quando majoratus fit ex facultate legis, ut quia in hoc regno habens descendentes instituit majoratum ex tertia, & quinta bonorum suorum parte, prout illi permittitur *leg. Regia* 27. *Tauri*, non publicatur in perpetuum ob hæc tria crimina. Quippe ex his criminibus solùm sequitur perpetua confiscatio, quando ex privilegio regio instituitur majoratus, ratione clausulæ in eo contentæ, ut ob illa publicetur: juxta dicta *numero* 42. Ergo cum ea non apponitur in lege permittente hanc majoratus institutionem, minimè ex his tribus publicabitur in perpetuum. Atque ita docent *Gregorius Lopez l.* 6. *verb. Que la non pudiesse*, *qu.* 2. *tit.* 11. *par.* 6. *Antonius Gomez l.* 40. *Tauri*, *nu.* 91. *columna penultima*, *in fine*, *& sequent. Molina lib.* 2. *de primog. c.* 2. *num.* 10. *juncto num.* 9. *Cantera in suis quæst. crim. tit. de quæst. tangentibus punitionem delictorum*, *cap.* 1. *nu.* 53. *Vasquez* 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *disp.* 169. *num.* 39. *in fine*, *Molina Societatis Jesu*, *to.* 3. *de just. disp.* 982. *n.* 2. *versic. illud est*, *& disp.* 657. *num.* 6. *in solutione ad* 2.

48 Hinc deducitur, instituto majoratu ex regia facultate continente clausulam, ut ob hæc tria crimina in perpetuum publicetur, si majoratus ille poterat absque ea facultate institui, ut in casu explicato in *numero præcedenti*, eum non publicari in perpetuum ob hæc crimina. Quia in dubio, & quoties disponens non se restringit in sua dispositione ad potestatem ex privilegio sibi competentem, censetur disponere juxta facultatem, quæ majorem actui firmitatem præbet. (Ut ex multis probabo *lib.* 7. *hujus tractatus*, *in cap. de potestate uniendi beneficia*, *quæ competit Episcopis*) Et in propriis majoratus terminis, ultra Auctores citandos, tradit *Molina l. de primogen. cap.* 2. *num.* 13. *in fine*, *& duplici sequenti*. Cum ergo firmior sit majoratus hic, quo ad evitandam confiscationis pœnam, si censeatur institui ex facultate juris, quam si ex privilegio, censendus erit quo ad hunc effectum ex illa institutus. Quod & clariùs constabit ex dicendis *nu. sequentibus*. Atque ita docent *Gregor. Lopez num. præcedenti* relatus, *Molina Societatis Jesu*, *tom.* 3. *de just. disp.* 582. *nu.* 2. *versic. Illud est observandum*.

49 Sed difficultas est, quando solam eorum bonorum partem posset vinculo majoratus subjicere, absque regio privilegio institutor, idque impetravit, quò ex bonis omnibus illum institueret, atque in eo privilegio continetur prædicta confiscationis ob illa tria crimina clausula: ut si habens descendentes potest in hoc regno ex tertia, & quinta bonorum parte, vel si solos ascendentes, ex tertia, absque eo privilegio, & tunc instituit ratione illius privilegii, ex omnibus bonis, aut ex ampliori parte, quàm poterat; an tunc ob tria crimina publicetur totus majoratus, an potiùs ea sola pars, quæ regio privilegio indigebat. *Antonius Gomez l.* 40. *Tauri*, *num.* 92. *ad finem*, sustinet totum majoratum in perpetuum publicari ob quodvis ex his delictis à quovis illius possessore commissum. Ducitur, quòd institutor non sit visus tunc uti facultate juris, quam habebat, sed privilegio regio; aliàs enim majoratus valore suo frustraretur; ac proinde usus est illo cum conditionibus in eo contentis: non enim eas excludere potuit. Præterea, quia e omnibus illis bonis per modum unius instituitur majoratus, ac subinde omnia illa admittunt eam novam majoratus qualitatem. Ergo & effectum ejus, qui est confiscationi subjici. Qualitas enim superveniens constituit rem diversam, & efficit, ut ampliùs illa nequeat per se considerari.

50 Cæterùm verius est, quod alios peritissimos dicit *Antonius Gomez ibi* tenuisse, nempe eum solùm bonorum excessum, quæ absque regio privilegio majoratui subjici nequibant, publicandum. Quod idem ferè expressè tenet *Gregor. Lopez l.* 6. *verb. Que la non pudiesse*, *quæst.* 2. *tit.* 11. *part.* 6. & expressè *Molina Societatis Jesu*, *tomo* 3. *de justit. disputat.* 582. *num.* 3. *versic. Illud est*. Ducor, quia instituens majoratum, sive totum, sive solam partem valeat absque privilegio instituere, censendus est nolle uti privilegio nisi quatenus ex illo redditur sua dispositio firmior; at quatenus redditur infirmior, censentur sola juris uti. Et ratio est, quòd petens privilegium ad instituendum majoratum, id petat, quò securiùs, & firmiùs illum instituat, non verò ad infirmius, & inutilius sibi, ac suis successoribus. Quod enim favore alicujus introducitur, non debet in ejus odium retorqueri. Ut docet *regula juris*. Nec mirum est hoc, cum habens potestatem ordinariam, & delegatam ad aliquem actum, possit utraque simul, & altera pro parte, & altera pro alia parte uti, & censeatur in dubio eam eligere quæ firmitati actus utilior est. Ut probabo *l.* 7. *hujus tractatus*, agens *de potestate Episcopi ad unienda beneficia*. Cum ergo firmitati majoratus, & ut perpetua ejus confiscatio vitetur, sit utilius uti facultate juris pro ea parte, ad quam illa sat est, censendus est illa uti, quo ad hunc effectum sibi utiliorem: & privilegio, quo ad effectus alios, in quibus utilior est illius usus. Nec obstant in contrarium adducta. Nam prius argumentum diluitur ex ratione proximè adducta. Ad posterius autem fateor omnia illa bona admisisse novam majoratus qualitatem: consequentiam autem nego. Quippe non est effectus majoratus subjici confiscationis: sed est effectus privilegii, quo non censetur institutor uti quo ad hoc; & ita fateor qualitatem illam supervenientem efficere, ne ampliùs illa bona valeant per se considerari, quo ad effectus necessariò consurgentes ex majoratus institutione.

51 Imò, quamvis profiteretur instituens se virtute ejus privilegii instituere majoratum, non tamen expressè aliam juris facultatem excludens, sive possit totum, sive solam partem absque privilegio instituere, credo censeri ita illum eligere facultatem privilegii, ut aliam non excludat; ac proinde censendus est uti privilegio, solùm quatenus majori sui actus firmitati deservit. Quòd non præsumatur velle illum sibi, at suæ familiæ nocere. Et hoc satis innuit *Gregor. Lopez num. præcedenti* allegatus, ait enim non publicari majoratum, quando institutor non se restrinxit in sua institutione ad privilegium: quod in hoc casu contingit, cum per ea verba non videatur excludere facultatem juris, qualiter excluderet dicens se velle solo privilegio uti.

52 Quò tamen opinionum varietas vitetur, sanum consilium est, ut qui regio privilegio instituit majoratum quem omninò, aut ex parte poterat absque eo instituere, protestetur, in institutione se velle uti utraque facultate, pro ut fuerit utilius ad majorem sui majoratus firmitatem. Sic docent *Gregor. Lopez l.* 6. *verb. Que la non pudiesse*, *quæst.* 2. *tit.* 11. *p.* 6. *Molina l.* 2. *de primogen. cap.* 2. *n.* 11. *in fine*, *Molina Societatis Jesu*, *tom.* 3. *de justitia*, *disp.* 582. *n.* 2. *versic. Illud est observandum*. Non tamen est consilium apponere clausulam solitam apponi, quando parentes ultra tertium, & quintum institutum majoratum ex regio privilegio, absque quo non poterant in præjudicium descendentium, quos habent nimirum, se velle uti privilegio regio, quo ad solum illum excessum. Quia ea clausula potest valde nocere; nam si parentes unicum filium habeant, cum juxta frequentissimam sententiam nequeant illi parentes gravamen ullum in tertia bonorum parte imponere, utpote quæ inter descendentes est legitima, corrueret majoratus apposita ea clausula, quo ad tertiam bonorum partem. Atque similiter ob eam clausulam corrueret majoratus, si quamvis multi descendentes adsint, non servaret instituens ordinem vocationum præscriptum *l. regia* 27. *Tauri*, cum solo eo ordine servato concedatur *ibi* facultas instituendi majoratus ex tertia bonorum parte. Atque ita docent *Molina eo c.* 2. *num.* 11. *& alter Molina ea disp.* 582. *num.* 1.

53 Quarta conclusio. Quando majoratus est adeò antiquus, ut de ejus institutione non constet, non confiscatur in peupetuum ob hæc tria crimina. Quod potiùs præsumatur institutus vi juris communis, quàm privilegii, (Ut latè probant *Molina l.* 2. *de primogen. cap.* 2. *num.* 18. *& Molina Societatis Jesu ea disp.* 582. *nu.* 3.) At institutus ex juris facultate non confiscatur in perpetuum ob hæc crimina; ut probavi *num.* 47. Atque ita docent *Molina l.* 4. *de primogen. c. ultimo*, *n.* 70. *& alter Molina to.* 3. *de justit. disputat.* 657. *num.* 2. *versic. Quando non constat*, *Vasq.* 1. 2. *qu.* 96. *art.* 5. *disput.* 169. *num.* 42.

Quod tamen optimè limitat *Molina Societatis Jesu eodem tomo* 3. *disput.* 582. *n.* 3. ut potiùs præsumatur institutio ex facultate juris communis, præter quam si constaret non posse quo ad aliquid, deficiente regio privilegio: quo ad id enim ex illo institutus præsumeretur. Quoniam existente immemorabili præsumptione, præsumuntur à principio intervenisse omnia necessaria ad titulum, & legitimam possessionem. Ut colligitur ex *c.* 1. *de præscrip. in* 6. *& c. Super quibusdam* 26. §. *Præterea*, *de verb. signif.*

54 Ultima conclusio. Non confiscatur regnum, ob hæresim, aut alia possessoris crimina: sed si eo propter illa crimina privetur, devolvitur ad sequentem successorem innocentem. Quia in prima populi electione omnes successores instituti sunt suo ordine legitimi hæredes regni: ac proinde nullus accepit regnum à possessore propinquo, sed ab eo ipso populo eligente: quare eadem est ratio in regnis, ac in reliquis majoratibus. Atque ita docent *Castro l.* 2. *de justa hæret. punit. cas.* 7. *Decianus pract. l.* 5. *c.* 44. *n.* 28. *versic. si rex*, *Simancas de cathol. inst. tit.* 46. *num.* 75. *Molina lib.* 4. *de primogen. c. ultimo*, *numer.* 37. *Vasquez.* 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *disp.* 169. *numer.* 42. *Azor. tom.* 1. *instit. moralium*, *libro* 8. *c.* 12. *quæst. ultima*.

55 Si tamen non aliter communi reipublicæ bono consuli posset, nec damna ex regis hæresi in totum regnum pullulantia caveri valerent, integrum esset Pontifici illud regnum auferre descendentibus catholicis, illudque concedere regi catholico debellanti. Ut benè tradunt *Molina eodem cap. ultim. numero* 37. *Vasquez eadem disput.* 169. *numero* 43. *Azor. eadem quæst. ultima*, *Molina Societatis Jesu tomo* 3. *de just. disp.* 620. *numero* 9. *& disp.* 657. *numero* 4. Qui *in hoc posteriori loco*, optimè addit idem contingere in majoratibus aliis institutis ex bonis patrimonialibus: si enim non aliter caveri posset damnum publicum, quàm privando majoratu reum læsæ majestatis, divinæ, vel humanæ, & omnes ejus successores innocentes, posset utique rex eos omnes privare. Quia bonum commune præponderat particulari illorum innocentium: at benè ait rarissimè id contingere posse. Quippe non militat ratio, quæ in rege: illi enim privati possunt à rege coerceri: hic autem superiore temporali caret, à quo coerceatur.

56 Ex dictis dissolvitur illa quæstio, an ob crimen læsæ majestatis divinæ, vel humanæ possit domus principalis majoratui subjecta solo æquari, ut fieri solet ob atrocia possessoris majoratus crimina, juxta *cap. Felicis* 5. *de pœnis*, *in* 6. *& lib.* 6. *tit.* 13. *& li.* 9. *tit.* 19. *p.* 2. imò, & post ruinam solet arari, & sale seminari. Dicendum enim est, manifestè id fieri posse, quando bona majoratus publicantur in perpetuum ob hæc possessoris crimina: secùs autem est quando juxta superiùs dicta nequeunt in perpetuum publicari. Quia (ut optimè docet *Bar. libro* 1. §. *Servus*, *numero* 1. *ff. ad Senatusconf. Syllan.*) ob unius delictum nequit dirui domus, in qua jus aliis competit. Atque ita docent *Gregor. Lopez l.* 6. *verb. Las casas*, *tit.* 13. *par.* 2. *Molina lib.* 4 *de primogen. cap. ultimo*, *n.* 75. *Alter Molina Societatis Jesu*, *tomo* 3. *de justit. disp.* 657. *numero* 5. Addit tamen *uterque Molina* id malò servari. Quia in hujusmodi eventibus, in aliorum exemplum, & ob criminis atrocitatem, solent judices regulas universas juris transgredi. Sed optimè ait *Molina Societatis Jesu* id fieri non debere, nisi facta compensatione valoris domus majoratui, ex aliis delinquentis bonis ad fiscum spectantibus. Atque ita credo ob causas dictas posse domum illam dirui. Quòd facta hac compensatione irrogetur modica injuria successoribus majoratus: atque hinc injuriæ coactionis admittendi pretii pro domo præponderent bonum commune, & aliorum exemplum. Atque ratione boni communis integrum est compellere ad res proprias vendendas. Ut ex multis probat *Covar. lib.* 3. *variarum*, *capitul. decimo quarto*, *num.* 8.

57 Demum duo observanda sunt. Prius est, in omnibus casibus, in quibus diximus non publicari majoratus ob crimen læsæ majestatis, divinæ, vel humanæ, vel sodomiæ possessoris, consultò additum esse non confiscari in perpetuum: nam de fructibus illius publicandis pro vita possessoris, dicendum est eos confiscari, si non sit expressa alienationis prohibitio, sed sola tacita. Sicut generaliter diximus ob alia crimina *numero* 8. *& sequentibus*.

58 Posterius est, in omnibus casibus, in quibus hucusque diximus bona majoratus publicari in perpetuum ob possessoris crimen, manent illa bona apud regem, ut bona libera à majoratus vinculo. Quippe variata persona variatur conditio rei. Ut constat ex *l.* 1. §. *finali*, *juncta glossa verb. Cum autem*, *ff. de collocat. bonor.* Atque ita docet *citatis Bartolo*, *& Baldo*, *Gregorius Lopez l.* 6. *verb. Que la non pudiesse*, *paulò post principium*, *tit.* 11. *par.* 6. Atque inde rectè infert, si rex facta confiscatione donet ea bona successori titulo majoratus, vel ex sua natura erant talia, ut comitatus, marchionatus, vel ducatus, fore illa apud donatarium, tamquam novum majoratum, & non ut antiquum.

SUMMARIUM.

An ob institutoris majoratus delictum confiscetur majoratus in perpetuum? Refertur quædam sententia, *num.* 59.

Publicatur omnio ob hæc criminia, quando est institutus post ea admissa num. 60.

Quid si crimina, non inducerent publicationem ipso jure? n. 61.
Quid si lata est sententia, & ab ea appellatum? num. 62.
An institutus in ultima voluntate, ut testamento, codicillo, aut donatione causa mortis, publicetur ob superveniens possessoris delictum? num. 63.
Quid si ante crimen institutus sit contractu irrevocabili inter vivos? num. 64.
Quid si erat institutus ex regio privilegio continente, ut ob sodomiam, crimen læsæ majestatis, divina, aut humana publicetur? num. 65.
Quid si ante crimen institutus erat contractu revocabili inter vivos? num. 66.
An si delinquens revocet illum ante mortem, pertineant ea bona ad fiscum? num. 67.
An confiscetur tunc quo ad fructus durante vita institutoris, etiamsi adsit clausula transferens ad sequentem vocatum statim ac possessor tentarit delinquere, aut si interdicta alienatio? num. 68.

59 HActenus egimus qualiter publicentur bona ob crimina possessoris majoratus, qui ejus institutor non fuit: jam disputandum est, quando crimen est ipsius institutoris. *Simancas de cathol. instit. tit. 9. num.* 256. ait majoratum confiscari in perpetuum ob institutoris hæresim, nisi fortè tradiderit filio possessionem bonorum vel scripturam primogenii, vel sit contractu oneroso institutus ante institutoris hæresim, tunc enim jus alteri acquisitum ante delictum, nequit per fiscum auferri. Quare apertè sentit semper confiscari majoratum, nisi contractu irrevocabili sit institutus. Quippe in casibus solis, quos excipit, redditur majoratus irrevocabilis: juxta *l. regium* 44. *Tauri*.

60 At sic distinguendum est. Si majoratus post delictum admissum sit institutus, publicatur in perpetuum facta delicti declaratione. Ratio est manifesta, quia à die delicti erant bona fisco obligata, cui jure acquisito nequit institutor præjudicare. Et ita docet dicens esse certum *Vasq. 1. 2. quæst.* 96. *ar.* 5. *disp.* 169. *num.* 39.

61 Quod tamen intellige in solis illis criminibus, ob quæ publicantur ipso jure bona; nam quando non ipso jure, solùm data confiscationis sententia majoratus institutus irrevocabiliter admisso crimine, ante confiscationis sententiam, non confiscabitur in perpetuum subsecuta postea confiscationis sententia. Sicut nec donatio medio illo tempore facta. Juxta *l. Post contractum* 15. *ff. de donat.* Ratio est, quia bona ejus delinquentis non sunt fisco obligata à die commissi criminis, nec confiscatio illa retrotrahitur ad eam diem. Ut dicemus *hoc 2. l. cap.* 21. *n.* 33. ac proinde quidquid medio illo tempore gestum est, non cedit in fisci præjudicium, cui nullum jus erat acquisitum. Sic docet *Molina Societatis Jesu tomo* 3. *de just. disput.* 659. *num.* 1. At hoc debet intelligi, nisi ea institutio sit in fisci fraudem facta: sicut de aliis donationibus tunc factis dicemus *eodem c.* 21. *num.* 25. eas posse à fisco revocari secuta postea sententia.

62 Quid autem si lata sententia, suspensaque per appellationem, is majoratus institutur? Dicendum est, sicut dicemus *eodem c.* 21. *n.* 36. & 37. de aliis donationibus tunc factis. Cum eadem prorsus ratio sit.

63 Secundo, si majoratus sit in aliqua ultima voluntate, ut testamento, codicillo, donatione causa mortis, confiscatur in perpetuum ob subsequens institutoris crimen, ob quod bona ipso jure publicantur. Quia cum ea bona nondum sint alicui obligata, fiscus ea auferens nulli præjudicat. Sic loquens de majoratu instituto in testamento, vel codicillo docet *Molina lib.* 4. *de primog. cap. ultimo, num.* 20. & 21. loquens in omnibus his tribus eventibus docet *Molina Societatis Jesu tomo* 3. *de just. disput.* 659. *num.* 2. Nam donatio causa mortis est similis testamento, & codicillis, & connumeratur inter ultimas voluntates. Ut docet *Molina cum aliis lib.* 1. *de primog. c.* 12. *num.* 10. & in hoc casu consentit nobiscum *Simancas* relatus *n.* 59. Et ob eamdem rationem si bona non publicentur ipso jure, sed per sententia, secuta sententia revocabit hunc majoratum fiscus. Quia ea bona sunt adhuc delinquentis, ac nulli obligata.

64 Tertiò, si majoratus sit institutus contractu irrevocabili inter vivos, ante institutoris delictum, non confiscatur in perpetuum. Quippe sicut institutor nequit contractu aliquo, aut alia ratione alienare ea bona, ita neque delicto. Præterea, quia donationes aliæ ante delictum factæ nequeunt à fisco revocari, nisi in ejus fraudem factæ sint *l. Post contractum* 15. *ff. de donat.* Sic tenent dicentes esse certissimum, *Molina lib.* 4. *de primogen. cap. ultimo, num.* 18. *Sarmiento lib.* 3. *selectarum, cap.* 4. *num.* 5. *Antonius Gomez lib.* 40. *Tauri, num.* 91. *colum.* 3. *Vasquez* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disputat.* 169. *num.* 39. & *disputat.* 171. *num.* 17. *Molina Societatis Jesu tomo* 3. *de justit. disput.* 659. *num.* 1. Et in hoc etiam casu consentit nobiscum *Simancas, num.* 59. relatus. Est tamen hoc intelligendum, si donatio illa fuit acceptata. Ut benè tradit *Vasquez eo n.* 17. Quia ante acceptationem non est perfecta, nec irrevocabilis, nec rationem contractus habet.

65 Hoc autem tertium delictum est intelligendum, nisi majoratus ille institutus sit ex regio privilegio continente clausulam, ut confiscetur ob crimen læsæ majestatis divinæ, vel humanæ, vel sodomiæ: tunc enim confiscabitur in perpetuum ob hæc delicta institutoris subsequentia; eodem prorsus modo, quo hucusque dicimus confiscari ob quodvis delictum ex his comissum à quocumque possessore. Quippe eadem lege adstrictus est ipse institutor majoratum cum possidens. Secùs autem dicendum est, si tempore, quo in hæc delicta incidit, non possideret majoratum, sed successori tradidisset. Quia ejus delictum nequit præjudicare successori, qui jam verus dominus ejus majoratus erat. Præterea, quia jam ille majoratus non erat inter delinquentis bona.

66 Ultimò si majoratus institutus sit contractu revocabili inter vivos, non modica est difficultas, an confiscetur in perpetuum ob subsequens institutoris delictum. *Simancas n.* 59. relatus censet sic confiscari. Quod hujusmodi contractus sit initar ultimæ voluntatis, utpote qui potest ad libitum revocari. At verius est non confiscari in perpetuum. Quia cum is contractus fuerit perfectus, ac validus, quamvis revocabilis per institutorem tempore vitæ suæ, jus est successoribus, quamvis ab ipso institutore revocabile comparatum. Hoc autem revocandi jus est personale, ac proinde non transit in fiscum. Præterea, quia contractus hic non est verè ultima voluntas, sed tertiam quamdam speciem constituit. (Ut latè probat *Molina lib.* 1. *de primogen. c.* 12. *à n.* 9. *usque ad* 17.) Quare non ultimis voluntatibus, sed donationibus revocabilibus inter vivos, quæ morte confirmantur, est assimilandus: quales sunt donatio inter patrem, & filiumfamilias, & virum, & uxorem. At donatio facta per virum uxori, quamvis à viro sit revocabilis, non pertinet ad fiscum, publicatis viri bonis ob subsequens viri delictum. (Ut probavi *lib.* 6. *de matrimon. disputat.* 17. *n.* 5.) Ergo similiter majoratus hic non publicabitur ob subsequens institutoris delictum. Et ita docent *Molina de primogen. lib.* 4. *cap. ultimo, num.* 23. *Antonius Gomez lib.* 40. *Tauri, num.* 91, *columna* 3. *Molina Societatis Jesu dicta disput.* 659. *num. ultimo*. Quod tamen intelligendum est cum, limitatione dicta *numero præcedenti* ob eadem rationem.

67 Subdit tamen *Molina Societatis Jesu eodem num. ultimo*, si delinquens revocet eum majoratum ante suam mortem, eo ipso ea bona ad fiscum pertinere. Idque nulla ratione probat, sed allegat pro se *alterum Molinam*, & *Antonium Gomez n. præcedenti* relatos. At neuter id dicit, nec ita universaliter dictum approbo: sed sic distinguendum est. Si institutor revocet majoratum ante sui criminis sententiam declaratoriam, ea bona ad fiscum pertinebunt, tamquam facta jam ipsius delinquentis, & nulli obligata. Secùs autem si post sententiam revocet. Quia in ea publicatione sola bona clauduntur, quæ tunc erant delinquentis, nulli alii obligata: juxta dicta *n. præcedenti*. Quod etiam constat, quia donatio facta inter virum, & uxorem, cui hanc contractum assimilari diximus *n. præcedenti*, si publicatione bonorum viri facta revocetur ab ipso viro, non pertinet ad fiscum. Ut probavi *libro sexto, de matrimon. disputat.* 17. *n.* 5.

68 Demùm id monuerim casu, quo non publicatur majoratus in perpetuum ob institutoris delictum, confiscabuntur fructus durante vita ipsius, nisi apposita sit clausula interdicens expresè alienationem, aut applicans bona sequenti vocato, statim ac possessor attentaverit delinquere. Quippe in hoc duplici casu transit majoratus dominium ad sequentem vocatum, ac dominium fructus sequentes erunt illius. Ut de reliquis possessoribus probavi à *n.* 15. *usque ad trigesimum*. Quia eadem est ratio, cum non in favorem delinquentis, sed totius familiæ ea clausula adjecta sit, & toti familiæ sit ab institutionis puncto jus acquisitum.

CAPUT XIX.

De confiscatione jurispatronatus, emphyteosis, ac feudi.

SUMMARIUM.

Quot quæstiones sint disputandæ? num. 1.
Juspatronatus nequiens ad hæredes extraneos transire non publicatur, num. 2.
An publicetur damnante judice Ecclesiastico delinquentem? numer. 3.
An publicetur directè, & per se, ob judicis laici sententiam? num. 4.
An hoc publicante omnia bona, publicetur indirectè juspatronatus? Refertur quædam sententia, num. 5. & 6.
Explicatur an juxta hanc sententiam possit judex Ecclesiasticus post sententiam publicationis latam à judice sæculari, publicare juspatronatus, num. 7.
An juxta eamdem sententiam publicetur per sententiam judicis sæcularis, quando publicantur castrum, & villa, cui est adnexum? num. 8.
An retenta eadem sententia venditis omnibus bonis publicatis à judice sæculari, transeat in emptorem juspatronatus? numero 9.
Explicatur sententia Auctoris? num. 10.
An valeat, quando in sententia judicis sæcularis fit mentio juris patronatus? num. 11.
An sit discrimen, tam in confiscatione, quam in venditione hæreditatis, si fiat mentio juris patronatus, cum dictione, & aut cum dictione, cum? Refertur quædam sententia, num. 12.
Explicatur sententia Auctoris, num. 13.

Quid quando confiscatio non est generalis, sed bonorum mobilium, & immobilium? num. 14.
Quid si in fraudem expressum esset, ut id juspatronatus ad certum personarum genus deveniret? num. 15.
An quoties juspatronatus publicatur, maneat Ecclesia libera, an potius jus præsentandi transeat in fiscum? num. 16.
Quid si sint alii patroni, aut alii ad id vocati? num. 17.
Est num. 17. *invenies summaria, quæ desiderantur.*

1 DUPLEX est tractanda quæstio. Prior de confiscatione jurispatronatus. Posterior de emphyteosis, & feudi confiscatione.

2 Quæstio prior, An ob patroni delictum publicetur juspatronatus Ecclesiasticum. Quia in re in tribus conveniunt Doctores. Primum est. Non subjacet confiscationi, quando ex sua institutione nequit ad hæredes extraneos transire. Quod probat regula ab omnibus admissa, quam tradidimus *hoc. lib. c.* 14. *num.* 5. quæ est *Non transeuntia ad hæredes extraneos, non transeunt in fiscum*. Et in propriis terminis docent *Jul. Clar. in sua pract. lib.* 5. *qu.* 78. *num.* 8. *Peregrinus de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 72. & 121.

3 Secundum est. Quando judex Ecclesiasticus bona patroni confiscat, publicatur cum illis juspatronatus, quod ad hæredes extraneos transire potest. Quod à contrario sensu colligitur ex *Clem. Pastoralis*, §. *Rursus, de sentent. & re judic.* Et id dicunt esse absque controversia *Lambertinus de jurepatronatus, lib.* 3. *quæst.* 8. *artic.* 8. *num.* 10. *casu* 1. *Bernardus Diaz in sua practica, in nova editione, capit.* 132. *num. quinto, Molina lib.* 1. *de primogen. capit.* 24. *num.* 26. *Cantera in suis quæst. criminalibus, titulo de quæstionibus tangentibus punitionem delictorum, capitulo* 1. *num.* 50. Nec tunc spectatur, an veniat principaliter juspatronatus in publicatione, an tantùm accessoriè, nec an exprimatur, nec ne, nec an sit generalis omnium bonorum publicatio, an particularis. Quia judex Ecclesiasticus potest illud directè publicare, cum ejus sit circa res spirituales judicium. Atque ita advertunt *Lambertinus*, & *Bernardus Diaz ibidem*.

4 Ultimum est. Si sententia sit judicis laici, nequit per se, & directè publicare juspatronatus, nec ejus confiscatio valeret. Quia cum sit quid spirituale, est extra judicis laici jurisdictionem. Atque ita dicens esse omnium tradit *Lambertinus eodem art.* 8. *num.* 11.

5 Difficultas autem eò pertinet, an quando juspatronatus ejus est naturæ, ut ad hæredes extraneos transire valeat, & sententia est judicis laici omnia patroni bona publicans, censeatur juspatronatus in eis existens publicari accessoriè. Duplex est sententia. Prior negat; eò quòd judicis laici potestatem excedat disponere de re spirituali. Sic tradunt *glossa Clem. Pastoralis, verbo Subjecta, de sentent. & re judic.* & *ibi Imola num.* 72. & *l. In insulam, in principio, num.* 1. *notabili* 2. *ff. soluto matrimon. Archid. c. Filii* 16. *qu.* 7. *n.* 2. & *ibi Bellamera n.* 6. *in fine, Cardinalis Clem.* 2. *qu.* 8. *num.* 8. *de jurepatron. Angelus de maleficiis, verb. Et ejus bona publicamus, num.* 15. *Lambertinus eo art.* 8. *num.* 13. & 14. *casu* 4. & *num.* 21. *casu* 9. *Felinus c. Quanto, num.* 3. *de judiciis*, & *ibi Barbat. num.* 17. *Marianus Socin. Junior consilio* 51. *in fine, volum.* 2. *Francus c. Felicis* §. *Nullus, num.* 2. *notabili* 2. *de pœnis, in* 6. *Anchar. eodem c. Felicis, num.* 4. *notab.* 10. *Nullus de bannitis* 1. *par. secundi temporis, num.* 32. *Gygas tractat. de crimine læsæ majestatis, liber.* 2. *tit. de pœnis committentium id crimen, qu.* 4. *num.* 4. *Costa c. Si pater, par.* 2. *verbo, Trebellianica, num.* 7. *de testament. in* 6. *Franc. Lucanus de privilegio fisci, part.* 2. *principali, titul. de publicatione bonorum, num.* 8. *Matt. de Afflict. Præpositus, Albericus, Bertachinus, Socinus Junior, Cœpola, Conradus, Ferretus, Mantua*, quos refert, & sequitur *Farinac. in sua practic. in nova editione, tomo* 1. *par.* 1. *tit. de delictis*, & *pœnis, quæst.* 25. *num.* 151. *Plot. inter consilia criminalia Zileti, tomo* 1. *consil.* 130. *num.* 18. *Cantera in suis quæst. criminal. titul. de quæst. tangentibus punitionem delictorum, c.* 1. *num.* 59. Atque videntur hanc sententiam amplecti *Chassaneus in consuet. Burgundiæ, rubr.* 2. §. 2. *in principio, nu.* 9. & *Peregrin. de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *nu.* 72. Cum hanc referant in ultimo loco, etsi non decidant, cui adhæreant.

6 Quidam autem ex his Doctoribus limitant, ut non publicetur in perpetuum, sed solo tempore, quo condemnatus illud habiturus erat. Sic dicens forsan ita esse, & alios allegans, tenet *Gygas ea quæst.* 4. *numer.* 4. Sed id reprobat *Farinacius ea quæst.* 25. *numer.* 154. quia ratio ob quam non publicatur, est defectus jurisdictionis judicis laici, quæ ratio æquè in confiscatione perpetua, ac temporali militat.

7 Rursus alii ex his Doctoribus asserunt, quamvis per judicis sæcularis confiscationem nequeat juspatronatus deperdi; at judici Ecclesiastico integrum esse post judicis laici sententiam de eo delicto, confiscari id juspatronatus, quando delicto est adnexa publicatio omnium bonorum cum infamia, indeque efficiendum, ut illo jure extincto maneat Ecclesia libera. Sic allegato *Antonio* tradunt *Imola ea Clem. Pastoralis, nu.* 72. *Lambertin. ea quæst.* 8. *ar.* 8. *nu.* 15. *casu* 5. At hoc dicunt intolerabile *Nullus* allegat. *num.* 5. *Farin. eadem quæst.* 25. *numer.* 153. Tum quia Episcopus nullam criminis laicorum cognitionem habet. Tum etiam, quia cum semel de delicto unus judex cognoverit, nequit amplius alius de eo cognoscere *l. Licet* §. *penultimo ff. nautæ, caup. stabular.* Verùm utrique objectionis satisfacit *Lambertinus ibi*, dicens judicem Ecclesiasticum benè habere cognitionem criminis in laicum, cum ejus naturæ est crimen, ut laicus retinere juspatronatus nequeat, quale est hoc ratione infamiæ adnexæ; eò vel maximè, quòd hæc cognitio judicis Ecclesiastici fit ad complendam publicationis pœnam à judice laico inflictam, eò quòd illa ad juspatronatus extendi nequibat, ratione defectus jurisdictionis in statuente. Atque in hoc casu potest judex Ecclesiasticus cognoscere, non obstante prævia judicis laici cognitione.

8 Tandem limitant hi Doctores, ut intelligatur hæc sententia, nisi juspatronatus sit adnexum villæ aut castro illius delinquentis, cujus bona publicantur: tunc enim censebitur juspatronatus publicatum. Sic *Gygas ea quæst.* 4. *in fine, Lambertinus ea qu.* 8. *art.* 8. *num.* 20. *casu* 8. *Costa eo* §. *Trebellianica, num.* 8. *Farinacius ea qu.* 25. *num.* 156. & 157. ubi eos retuli *n.* 5.

9 Hinc infert hæc sententia, sicut in confiscatione omnium bonorum facta per judicem laicum non comprehenditur juspatronatus, juxta dicta *numero quinto*, à fortiori illud non transire in emptorem, venditis à fisco iis bonis. Quia nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse habeat. *Regula Nemo potest* 79. *de regulis juris, in* 6. Sic *Gygas ea quæst.* 4. *numer.* 5. *Farinacius ea quæst.* 25. *num.* 155.

10 Posterior sententia (cui tamquam probabiliori adhæreo) ait publicatis omnibus bonis, seu universa delinquentis hæreditate per judicem sæcularem, publicari quoque indirectè, & accessoriè juspatronatus. Quia etsi judex laicus nequeat per se, & directè privare jurepatronatus, potest tamen indirectè, & accessoriè, publicando bona, quibus est adnexum. Ita sustinent *glossæ cap. Filiis, verbo Propinquis* 16. *quæst.* 7. *Abbas cap. Cum laici numer.* 3. & *cap. Nobis, numer.* 3. *de jurepatron.* & *cap. Quanto, numer.* 9. *de judiciis, ubi Decius in nova editione, à numer.* 35. *versic. Sed prima opinio, Albericus l. Si postulaverit.* §. *Jubet numer.* 6. *ff. ad leg. Juliam, de adult. Rocchus de Curte de jurepatron. verb. Ipse velis, quæst.* 29. *numer.* 69. *Paulus de Citadinis in eodem tract. part.* 9. *quæst.* 20. *numer.* 28. *Guillelmus Benedictus cap. Raynutius, verb. Et uxorem, decis.* 5. *numer.* 280. *de testam. Joannes Lupus rubrica de donat. inter vir.* & *uxor.* §. 39. *numer.* 7. *versic. Ad cujus confirmationem, Auferius de potestate sæculari, in regula à fallentia* 21. *Julius Clarus in practica criminali, lib.* 5. *quæst.* 78. *num.* 8. *Molina lib.* 1. *de primogen. cap.* 24. *num.* 26. *Ferez libro* 1. *ordinam. tit.* 6. *liber.* 1. *super verb. Si el que fuere quæst.* 8. *Surdus de alimentis, titul.* 9. *quæst.* 22. *num.* 28. Subditque optimè *Molina eo numer.* 26. absque fundamento ullo Doctores allegatos *num.* 8. dixisse confiscatis villa, aut castro per judicem sæcularem confiscari quoque juspatronatus non autem publicatis omnibus bonis, aut universitate hæreditatis.

11 Hæc autem sententia est intelligenda, dummodo judex laicus in confiscationis sententia non faciat jurispatronatus mentionem, sed in genere declaret omnia illius delinquentis bona ad fiscum pertinere; & tunc cum illis transibit accessoriè juspatronatus. Neque enim valeret sententia, quo ad juspatronatus, si illius mentio fieret; eò quòd judex laicus jurisdictione careat. Sicut vendita bonorum universitate transit accessoriè cum illa juspatronatus, non autem transiret facta illius mentione in venditione. Sic tradunt *Abbas cap. Quanto, num.* 9. *de judiciis*, & *ibi Decius in nova editione, num.* 38. *versic. Prædicta concluso, Molina liber.* 1. *de primogen. cap.* 24. *num.* 26. *Peregrinus de jure fisci, lib.* 5. *tit.* 1, *nu.* 72. *in fine*.

12 Sed difficultas est circa hanc limitationem, an valeat confiscatio jurispatronatus, facta illius mentione cum hac præpositione, *cum*, ut si dicat sententia judicis laici sic: *publico universa bona cum jurepatronatus*: Quidam in casu simili, nempe venditionis hæreditatis, cui est adnexum jus patronatus, ajunt non transire illud in venditorem, sive ejus mentio fiat cum dictione, *Cum, vendo bona cum jurepatronatus*, sive cum dictione, *Et*, ut *vendo bona*, & *juspatronatus*. Ducuntur, quòd interdicta sit jurispatronatus venditio, *cap. De jure* 16. *de jurepatronatus*: atque adeò transeat vendita bonorum universitate, quia tunc non venditur, sed transit in consequentiam, & accessoriè. At cum in venditione exprimitur juspatronatus, iam non venit accessoriè, sed perinde est, ac si hæreditas illa, & juspatronatus vendantur. Sic *Abbas c. Illud, n.* 4. *de jurepatron. Felin. c. Querelam, n.* 3. *de simonia. Lambertinus de jurepatron. lib.* 1. *part.* 2. *q.* 5. *art.* 20. *à num.* 19. *Spino Speculo testam. gloss.* 4. *principali n.* 116. Et videtur tenere *Gutierrez de juramento* 1. *part. c.* 42. *n.* 4. Atque ideò juxta hanc sententiam dicendum est non valere confiscationem jurispatronatus utrovis modo fiat.

13 At probabilius est valere, quando cum dictione, *Cum*, exprimitur, ut *publico omnia cum jurepatronatus*: secùs quando cum dictione, *Et* ut *publico omnia bona*, & *juspatronatus*. Ratio discriminis desumitur ex doctrina *Bartoli* communiter recepta, *authent. Ingressi in nova editione, numero trigesimoprimo C. de sacrosanct. Eccles.* dicentis dictionem, *Et*, denotare utrumque principaliter venire; at dictionem, *Cum*, venire accessoriè. Cum ergo veniat juspatronatus accessoriè, est sola expressio ejus, quod tacitè inest, & eo modo, quo inest, ac proinde nullum est vitium. Atque ideò tractantes de venditione hæreditatis, cui juspatronatus adnectitur, tradunt hanc distinctionem,